HISTORIA PHILOSOPHICA
DOCTRINAE
DE
IDEIS
QVA
TVM VETERVM IMPRIMIS GRAECORVM TVM RECENTIORVM PHILOSOPHORVM PLACITA ENARRANTVR.



Augustæ Vindelicorum,
Apud
DAV. RAYM. MERTZ, et I. IAC. MAYER.

cIↃ IↃ CC XXIII.

165

REVERENDISSIMO, EXCEL-
LENTISSIMO ET ILLV-
STRISSIMO DOMINO,

DOMINO

CHRISTOPHORO
OTTONI

COMITI ET DOMINO
AB ET IN SCHAL-
LENBERG,

LIB. BARONI IN LVFFTENBERG,
BIBERSTEIN, AV, LEOMPACH
ET RVEPENSTALL,
ILLVSTRIVM CAPITVLORVM CA-
THEDRALIVM CONSTANTIEN-
SIS ET AVGVSTANI RESPE-
CTIVE PRAEPOSITO
ET DECANO,

NEC

NEC MINVS

SERENISSIMI PRINCIPIS ET EPISCOPI AV-GVSTANI

CONSILIARIO INTIMO,

ETR. ETR.

DOMINO NOSTRO GRATIOSIS-SIMO.

REVE-



REVERENDISSIME, EXCELLENTISSIME ET ILLVSTRISSIME DOMINE COMES,

DOMINE GRATIOSISSIME

QVAMPRIMVM, ſingularem plane Clementiam Tuam luculentiſſimis documentis experiri fe-

licitas nobis obtigit, devoto animo et occulta æstimatione eam venerari nunquam neglexímus; ut autem publico quodam gratæ mentis testimonio observantiam profiteremur et declararemus; præter alios conscientiæ stimulos, Philosophi tantum non Christiani, Senecæ acutissimi excitarunt monita, ita commentantis: *Quidam furtive gratias agunt, et in angulo et ad aurem. Non est ista verecundia, sed inficiandi genus. Ingratus est, qui remotis arbitris agit gratias. Idem faciunt, qui dant operam, ut beneficium in ipsos collocatum quam ignotissimum sit. Et dum*

opini-

opinionem Clientum timent, graviorem subeunt ingratorum. Iſtud igitur crimen ut ex animo deteſtamur, ita commodæ graviſſimi debiti exſolvendi inhiavimus occaſioni; quam ſe obtuliſſe nobis exiſtimavimus, cum præſens erudita de ideis diſſertatio ad preces noſtras nobiſcum communicaretur. Non ingratum Tibi hoc opuſculum æque ac obſequioſæ mentis noſtræ officium fore, multæ nobis perſuaſere rationes. Cum totum Te, Reverendiſſime ac Illuſtriſſime Domine Comes, Humanitas occupet, totum Te etiam Humani-

tatis ſtudiis tradideris, et hoc humani pati non gravaberis; quod Humanioris literaturæ meletema homines Humanitate Tua devinctiſſimi Illuſtriſſimo Nomini Tuo inſcribere ſuſtinuerint. Quem totus orbis eruditus Antiquitatis æſtimatorem et cultorem doctiſſimum et propenſiſſimum ſuſpicit, nihil antiquius habebit, quam ex ultima antiquitate erutas de materia graviſſima Philoſophorum ſententias, in ſynopſi oblatas, mentis et oculorum acie perluſtrare. Cui ob inexplebile ſtudium codices Græcos nocturna verſandi manu, verſandi

diur-

diurna convenientissime illud ante duo secula usitatum proverbium, *Græcia Alpes transvolavit*, hoc additamento: *et in ædes Schallenbergianas immigravit*, accommodari potest, ad palatum erit quam maxime, tot illustria vetustorum Græcorum placita in proprio idiomate perlegere. Cujus Palatium Palladis atrium et literatorum Palladium apud omnes audit, is Palladem Atticam cum sectarum Philosophicarum Coryphæis admittere non dedignabitur. De Syracusano Comico Philemone fabulosa somniavit

vetu-

vetuſtas, eum per ſomnium e domo ſua egredientes Muſas vidiſſe; nos vigilantes affirmare poſſumus, exules illas humaniſſime invitatas illuſtria tecta Tua ſubiiſſe; hinc num et fidis earum miniſtris, bibliopolas loquimur, aditus ad ſumma hæc limina pateat, vix ulla dubitandi cauſſa erit relicta. Concedes, Reverendiſſime ac Illuſtriſſime Domine Comes, qui ſine præjudicio, aut της υποθεσεως δυλεια, ea, quæ ſparſim in Anglia, Gallia, Germania a celeberrimis Philoſophiæ Reformatoribus aſſeruntur et con-

confirmantur, in centro doctissimi pectoris colligis et ad trutinam revocas, ut recentiores Philosophi in Pantheo Tuo et bonarum artium asylo antiquatæ veterum autoritati palmam dubiam reddant, si non præripiant. Quod superest, de variis idearum ideis cum oblatus tractatus agat, id saltem humilimis precibus expetimus, ut continuata in nos porro Clementia confirmes, non vanas nos de perenni Præsidio ac Patrocinio Tuo nobis finxisse ideas, qui devotissima mente lætissimos quosvis rerum successus et inconcussam felici-

tatem precati, ſemper nos exhibebimus

REVERENDISSIMI, EXCELLENTISSIMI ET ILLVSTRISSIMI NOMINIS TVI

Auguſtæ Vindelicorum,
Cal. Apr. cIↃ IↃ cc xxIII.

Clientes humilimos
David. Raymund. Mertz
et
Iohann. Iacob. Mayer.

BENE-

BENEVOLO LECTORI

S. P. D.

I. B. A. V.

QUATUOR suis orbibus circumvoluti sunt anni, ex quo in celeberrimo quodam Athenæo primas lineas historiæ philosophicæ de ideis dedimus, et tentamen introductionis in historiam hujus doctrinæ conscripsimus. Nec animus erat, rem prolixius curis posterioribus exponere, quamvis dignissima videbatur ejus tractatio, quod ad alia nos vocari cognoscebamus. Interim tamen, quæ in veterum et recentiorum lectione de ista materia occurrebant, aliud quidem agendo, sedulo tamen privatis usibus inservitura notavimus,

eoque sumus annisi, ut accurate totum, quicquid illud est, disceremus argumentum: quo evenit, ut non expectata nobis subnascerentur augmenta non omnino spernenda. Neque tamen de prolixius et ex instituto tractanda materia consilium ceperamus, cum Bibliopolæ, Viri honestissimi, et juvandi pro virili bonas artes amore flagrantes, ejusmodi scriptionis genus a nobis desiderarent, quod Philosophicæ veterum imprimis Græcorum historiæ lucis aliquid accenderet. Qua in re etsi curtæ supellectilis nobis eramus satis superque conscii, nec nobis persuadebamus, quod dignum quicquam orbis literati exspectatione a nobis possit proficisci, dedimus id tamen repetitis eorum precibus, ut ad hunc, quem vides, Benevole Lector, laborem nos accingeremus, rati, aliqua forte nos allaturos esse, quæ alibi frustra quæruntur. Hinc enatus est præsens

ſens libellus, in quo, peragratis tum veterum Græcorum, tum medii ævi, tum recentiorum Philoſophorum campis, eos decerpſimus et collegimus flores, qui juſtum darent de hoc argumento faſciculum. Cuncta enim ex originibus ſuis derivavimus, ipſorumque, ubi copia erat, auctorum verba dedimus, quo haud raro factum eſt, ut tota eorum ſyſtemata eſſent explicanda. Id quod eo lubentius fecimus, et æquiori animo haud exiguas devoravimus moleſtias, quo magis veritati nobis videbatur conſentaneum celebris cujusdam Scriptoris * effatum: *In hiſtoria rei literariæ nihil præſtantius aut utilius eſſe, quam cujusque gentis ingenium, cujusque placita philoſophica, et quid in ſcientiis profecerint, exponere: cæ-*

* THOMAS BVRNETVS in *præfat. ad Archæolog. philoſoph.*

tera, quæ historiam literariam constituere solent, qualia sunt Philosophorum vitæ, natales, obitus, laudes, peregrinationes, bene aut male gesta, et hujusmodi plura, complere hæc quidem ornareque materiam, sed minoris esse momenti, cum id agamus, ut humanæ cognitionis semina et progressus investigemus. Vnde et dogmatum historia contenti, a reliquis plerumque abstinuimus, nisi ubi ea cum ipsa doctrina necessario erant conjungenda. Præsertim id nobis curæ fuit, ut ferme neglectam hactenus multisque ignotam Græcorum Philosophorum de ideis sententiam accurate explicaremus, quia videbamus haud raro doctos quoque hic hallucinari, eamque ignorare. De qua re non injuste questus est IACOB. THOMASIVS **: *Ideas Platonis multos habere in ore, quid*

** *Orat. de ideis Platon. Orat. XIII. pag. 276.*

quid eæ sint, quibus et fontibus derivatas Plato in omne propemodum doctrinæ suæ latifundium deduxerit, quousque ab iis vel Aristoteles dissenserit, vel religionis gratia dissentiendum sit nobis, fortasse non æque multis expeditum esse. In recentiorum vero sententiis describendis breviores fuimus, et ea non nisi obiter tetigimus, de quibus inter se Philosophi non disceptant, et ubi nulla sunt hypothesium divortia, quod in præstantissimis Scriptorum ipsorum, ad quos diligenter Lectorem remisimus, operibus, ea sunt in propatulo: controversias vero eruditorum, et quas tenuerunt de ideis diversas inter se sententias latius enarravimus. Cætera, quæ ad nostram tractandi rationem attinent, Lector benevolus morandus non est, cum ex præfixo argumento ea satis pateant. Causa tamen exponenda est, cur ipsos Scriptorum locos, et quidem interdum plures uno attu-

lerimus, quod tamen fastidium videbatur creare posse Lectori delicatulo. Scilicet id nobis persuasit et maxima rei utilitas, et AEGIDII MENAGII, Viri, si quis unquam, accuratissimi judicii, infinitæ lectionis et stupendæ memoriæ auctoritas, qui pari via in eruditissimo in Diogenem Laërtium commentario incessit. Cujus verba ***, cum mentem nostram egregie exprimant, hic adscribere non piget. *Damnant*, inquit; *quod textum Laërtianum longioribus commentariis onerarim, dum in rebus notis et pervulgatis locos integros scriptorum, quos in testimonium adduco, eosque pervios, immo et ab aliis, qui in Laërtium scripserunt, animadversos exscribo. Locos integros scriptorum, quos in testimonium adducas, in commen-*

*** *Præfat. Comment. laudati T. II. Diog. Laërt. ex Off. Wetsten.*

mentariis exſcribere, ut paulo minus jucundum fatear, certe multo magis utile eſſe contendo. Eſt vero in hujusmodi ſcriptis utile dulci anteponendum. Non quivis lector quosvis libros apud ſe habet, verum ut habeat, non habet ad manum, nec ſi ad manum haberet, in eos lubens inſpiceret, dum calorem ſuum refrigerari, atque impetum retardari veretur. Conſulto igitur id, quod tantopere damnant, feci, nec dum me feciſſe pœnitet. Fateor et id quoque, plurima me in medio atque ante pedes poſita collegiſſe. Sed fateantur illi quoque, ex meis lectoribus plures futuros, qui hæc ignorent, quam qui norint. Omnibus ſcribimus, tam indoctis, quam eruditis; Quis autem illorum longe majorem numerum eſſe neſcit? Igitur ſcripta noſtra multitudini fuere accommodanda.
Addimus rationibus, a Viro eruditiſſimo prolatis, eſſe interdum libros, quos conſuli oportet, qui tamen rarius occurrunt, inſpicique

vix possunt; id quod de AVGVSTINI STEVCHI Eugubini libro *de perenni philosophia*; IO. BAPT. CRISPI Gallipolitani libro *de Platone caute legendo*, SCIPIONIS AGNELLI *disceptationibus de ideis Platonicis*, (quorum loca prolixius adduximus) præcipue notandum est. Versiones vero Græcorum locorum eas plerumque retinuimus, quæ eruditorum teruntur manibus, etsi haud raro accuratius verba exprimi poterant, sperantes, et gratius fore Lectoribus, hic quoque aliorum mentem perspicere, et facile ad Græci textus normam, ubi erratum fuit ab interprete, cuncta emendari posse. Gallica vero, quæ in recentiori historia adducenda erant, Latine efferre noluimus, quod hæc ipsa lingua paucissimis hodie eruditorum sit ignota. Quod reliquum est, tametsi hisce multa adhuc addi posse non negamus, eaque sumus, qua par est, modestia, ut meliora atque do-

ctiora

ctiora ab aliis dari posse nobis habeamus persuasissimum; licuit tamen derelictum hactenus occupare campum, justæque historiæ, de speciali ejusmodi dogmate erudito orbi movere salivam, ut excitati, qui majoribus ingenii et supellectilis librariæ opibus instructi sunt, manus admoveant, et dogmaticam Philosophiæ historiam restituant. Et quemadmodum ab omni sententiarum et dogmatum ipsorum censura criticoque obelo lubentes abstinuimus, nisi ubi dissensus in quæstione historica modeste erat indicandus, ipsam tantum dogmatis historiam conscribere contenti; ita speramus fore, ut Benevolus Lector, si qua lapsi sumus (quod in tot sententiis recensendis vix evitari potest, et alienum a se putare debet nemo) benevole ignoscat, et quæ monenda forte videbuntur et emendanda, sine amaritudine et insultatione, quæ neque Philosophum, multo

minus

minus Chriſtianum decet, exponat, paratiſſimos nos non ſine animi obligatione ad legitimam ſolidamque emendationem habiturus. Scrib. Auguſtæ Vindelicorum Calend. Febr.
cIↃ IↃ CC XXIII.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Sectionis I.

§. I. Celebritas doctrinæ de ideis. Varia vocis acceptio. §. II. Plato primus de ideis accurate et ex instituto philosophatus. Vox idea ab eo primum in hoc sensu usurpata. Orientalium de iis sententia. Iyngæ Chaldæorum; Pythagoræ numeri. Ciceronis et Augustini testimonia. Ioannes Serranus notatus. Supposita multa a Platone Philosophis veterum. Occasio Platoni doctrinam de ideis subministrans, Heracliti sententia: Socrates dissentiens a Platone. Francisc. Patricius emendatus. §. III. Platonis obscuritas in doctrina de ideis a Serrano, Vossio, Paschio animadversa. Causæ variæ. α. Disciplina arcani, Pythagoreis usitata. Cenotaphia Pythagoreorum unde? Plato Pythagoreos imitans. Platonis testimonium. β. Affecta-

fectatio eloquentiæ et dictionis Poëticæ. Difficultas doctrinæ de ideis a Platone agnita. Ambiguitas vocis ideæ apud eundem. γ. Methodus philosophandi sceptica. Locus Ciceronis et Huetii. δ. Disputandi contra Sophistas perplexa ratio. Plato interdum dogmaticus. Sophistæ Philosophis prudentioribus exosi. Socratis contra eos disputandi ratio: Ejus vestigia premit Plato. ε. Platonis in sententia sua inconstantia. Locus Cyrilli Alexandrini. ς. Interpretum Platonis hallucinationes. Ficinus laudatur. Nimia allegorice explicandi cupiditas reprehenditur. Notabilis Crispi locus. Obiter de raro Crispi libro. In Serrano fides desideratur. §. IV. Ideæ Platoni quid? Duplicis sunt generis, divinæ et humanæ. Fundamentum ex Physiologia Platonica. Platonis descriptio idearum. Alcinoi locus. Duo principia Platonis. Materia æterna. Plato an materiam DEO fecerit coævam? Testimonium Plutarchi affirmans.

mans. Windetus et Wolfius commendati. Afferta contraria Hieroclis, Patrum quorundam, Huetii, Cudworthi, Ficini. Conciliatio tentata inter Plutarchum et Hieroclem. Solutio quæſtionis tentata. Platonici recentiores non apti judices. Plutarchus Hierocli præferendus. Platoni ex nihilo nihil fit. Materia principium mali poſitivum. Loca Platonis. Alia Plutarchi teſtimonia. Materia ſummo bono e diametro contraria. Non tamen inter atheos referendus Plato. Vſus exemplaris idearum. Locus egregius Attici. §. V. Ideæ ex intellectu divino ortæ. Vnde principium rerum ſenſibilium? Doctrina de principiis univerſi apud Platonem probe notanda. Tria dari ſecundum teſtimonia Plutarchi, Iuſtini Martyris, Auctoris Philoſophum. Origenis, Cyrilli. Methodus conciliandi in §. præced. dicta cum his. Menagii, Caſauboni, Kuhnii obſervationes. Diſtinctio inter principia prima et ſecunda, ſubordinata et oppo-

ſita.

ſita. Senecæ locus. Quatuor principia Platoni. Intellectus divinus quid apudPlatonem? Plotini et ipſiusPlatonis effata. Num Plato ideas ab intellectu divino ſeparaverit? Negativa ſententia Plutarchi, Senecæ, Auguſtini, Auctoris Philoſophumenorum Origenis, Platonicorum poſt C. N. Plotini imprimis, Scholaſticorum, Steuchi, recentiorum eruditorum Virorum. Affirmativa Ariſtotelis, Philoponi, Ammonii, Tertulliani, Petavii et recentiorum aliorum. Affirmativa aſſeritur. Argumenta aſſertionis α. ſubſtantia peculiaris ideis adſcripta. Vna tantum in Deo ejusque intellectu ſubſtantia. Egregia Thomaſii obſervatio. β. Diogenis Irriſio idearum. γ. Ariſtotelis auctoritas. Exceptio de ejus cavillandi ſtudio: refellitur. Amor Philoſophiæ eclecticæ, quem a Platone Ariſtoteles didicit. δ. Plutarchi teſtimonium elevatur. Ejus ἀσυςασία. ε. Abſurditas Platoni non impoſſibilis. ς. Recentiorum Platonicorum teſtimonium non ſuffi-

ſufficiens. ζ. Obſcuritas inextricabilis. Digreſſio de Scipionis Agnelli libro de ideis. Raritas libri. Argumenti levis tractatio. Scopus auctoris ſyncretiſmus Ariſtotelico-Platonicus. Ejus methodus. Paralogiſmi auctoris. Argumenta contra noſtram ſententiam. Reſponſio ad ea. Ejus ſententia de ideis. §. VI. Quale objectum intellectus ideæ conſtituant? Intellectualia ſola digna cognitione. Platonicorum teſtimonia. Ideæ verum objectum Sapientiæ et Philoſophiæ. Diſcrimen inter utramque juxta mentem Platonis, a Laërtio et Iamblicho expoſitum. Philoſophia cur notitia rerum divinarum vocetur? Senecæ locus parallelus. Fundamenta Doctrinæ Platonicæ α. emanatio animarum ex eſſentia divina. Fons hujus hypotheſeos. Platonis effata. Hieroclis teſtimonium. Stoici quomodo a Platonicis in hac re diſſenſerint? Plotinus et Ficinus notati. Plato ipſe auditur. In Steuchum animam mundi cum Spiritu Sancto confundentem animadvertitur.

titur. Thomaſius commendatur. β. Animam in ſe habere omnium rerum ideas. Duplex recordatio apud Platonem, una ex origine divina animæ, altera ex migratione derivanda. γ. Lapſus animæ. Obſcuritas Platonis notata. Plato ex propriis dictis illuſtratus. Corpus carcer et ſepulchrum animæ. δ. Comendata reminiſcentia. Animus tabulæ ſcriptæ aſſimilatus. Platonis inconſtantia et contradictio. In Ariſtotelis caſtra tranſit. Criſpus contra Serrani et Ficini allegorias commendatur. Media eluctandi a Platone propoſita: vel moralia ſunt vel dialectica. Idea ſummi boni. §. VII. Quid Plato de ἐννοίαις ſive ideis umbratilibus in mente ſubſiſtentibus docuerit? Serrani expoſitio. Elegans ſimile Platonis totam doctrinam per ἀνακεφαλαίωσιν explicans. Summa dignitas doctrinæ de ideis apud Platonicos. Attici prolixus locus. §. VIII. Ad reliquorum Philoſophorum placita enarranda acceditur. Heracliti Phyſiologia. Perpetuus fluxus ſenſibilium ab eo aſſertus.

tus. Consentientes Protagoras, Empedocles, Epicharmus, Homerus. Epicharmi de ea re fragmentum apud Laërtium. Ciceronis, Senecæ et Laërtii testimonia. Gottfr. Olearius laudatus. Aristotelis de ideis mens. Platonis ideis contradicit, easque nugacitatis accusat. Ipse Aristoteles, Atticus Platonicus, Cicero, Origenes testes producti. Conciliatores inter Platonem et Aristotelem. Porphyrii de hac re liber apud Suidam. Plures nominati. Argumentum contrarium ex natura Physiologiæ Aristotelicæ desumtum. §. IX. Aristoteles omnem formarum considerationem non proscripsit: Eas materiæ immersas esse statuit. Plutarchi, Simplicii, et ipsius Aristotelis de eo testimonia. Anima ab illo cum nuda tabula comparata. Malæ conciliationes Platonis et Aristotelis refutantur. Quid Aristoteles de ideis mentalibus tradiderit? Eas non juxta naturam illarum, sed juxta sermonis sui indolem disposuit. Categoriæ. Prædicamentum

habitus ex idiotismo Græcæ linguæ desumtum. Porphyrius de universalibus; Ea non ignoravit Aristoteles: Loca ejus producta. Rapini observatio. Ejus nimius erga Aristotelem amor taxatur. Recentiorum de Aristotelica circa primam mentis operationem doctrina judicia. Vniversalia ex Logica proscripta. Eorum numerus ineptus; Falsum fundamentum. Categoriæ inutiles. Leges divisionis in iis violatæ: necessaria omissa. Inutilis doctrina tota. §. X. Cynicorum de ideis sententia. Logica ab iis neglecta. Diogenes Platonis ideas ridens. Id Ammonius et Tzetzes Antistheni tribuunt. Eorum circa ἐννοίας doctrina exponitur. Insignis locus Plutarchi. Eas non nisi in mente existere tradiderunt; voces tamen ab ideis separatæ. §. XI. Sceptici de ideis, ut de aliis, nihil professi. Cum Heraclito fluxum rerum asseruere. Epicuri principium Physicum atomi: unde ideæ ex ejus Physiologia proscriptæ.

ſcriptæ. Logicam contemſiſſe dicitur. Id de ſola Stoicorum Dialectica intelligendum eſt. Sexti Empirici de ea re locus. Epicuri circa ideas in mente noſtra ſententia. Canones huc facientes tres. Anticipatio quomodo formetur? quid ea ſit? quis ejus uſus. §. XII. Summa dictorum. §. XIII. Romani Philoſophi nihil novi tradiderunt. Eclectici Varro et Horatius: Ciceronis philoſophandi methodus, Academiæ quidem accedens, eclectica tamen magis, et media inter ſcepticam et dogmaticam philoſophiam via.

SECTIO II.

§. I. Tranſitio ad placita Chriſtianorum veterum. Platoniſmus Patrum. Egregius de eo locus Criſpi. Cautela in hac re obſervanda accurate. §. II. Patres quidam idearum Platonicarum patroni. Petavius laudatus. Iuſtinus Martyr ideis delectatus: Platonem Moſen

ſen expilaſſe et pervertiſſe ſtatuit. Clemens Alexandrinus et Euſebius ad hanc claſſem revocati. Auguſtini de ideis ſententia. Syneſius Platonizans, qui ſexum quoque in DEO ſomniat. Pſeudo-Dionyſio ideæ ſubſtantiæ mediæ inter Deum et res ſenſibiles: Maximi martyris explicatio. Ea longe a Dionyſii mente abit. Duplicis generis ideæ a Dionyſio aſſertæ. Recentiorum interpretationes rejiciuntur. Dionyſius verbis modo male ſe exprimit ex ſententia Petavii. Gnoſticorum errores et Valentinianorum hæreſes ex ideis Platonicis derivatæ. Gregorii Palamæ error de divinis proprietatibus re ipſa a DEO diſtinctis. §. III. Scholaſtici Platonem non multum curantes. Ejus cauſæ: Græcæ linguæ ignorantia; odium erga myſticos Platonem diligenter legentes; defectus interpretationum Platonis ad ſeculi genium accommodatarum. Ludovici Vivis de ea re querela. Porphyrius prudenter omittit quæſtionem de ſubſiſten-

ſiſtentia propria univerſalium. §. V. Bella Scholaſticorum de univerſalibus; Sectæ Nominalium et Realium inde ortæ. Earum hiſtoria impedita. Iacobi Thomaſii de ea merita. Ejus compendium apud Morhofium. Auctor Sectæ Nominalium Rucelinus. Ioannis Aventini de eo relatio. Poſterior explicatus. Petrus AbælardusRucelini ſucceſſor inter Nominales,mutat aliquantum magiſtri ſententiam. Intermortuam Sectam reſtituit Occamus. Inde exortæ lites in Academia Oxonienſi. Nominales ex Gallia expulſi, in Germania recipiuntur. Hobbeſius inter Nominales relatus a Leibnizio. Realium fautores quidam Abælardi diſcipuli, Ioannes Saresberienſis, Dominicani et Franciſcani, Thomas Aquinas, Ioannes Duns Scotus, alii. Pugnæ Scholaſticorum de univerſalibus interdum cruentæ. Tubingenſis et Pariſienſis ſcholæ iſtis litibus turbatæ. Variæ Nominalium ſententiæ. Epigramma de Rucelino. Conceptuales a Nomi-

nalibus proprie sic dictis diversi. Realium discrepantes sententiæ a Saresberiense delineatæ. Sex genera eorum recensentur. §. VI. Comparatio hujus litis cum controversiis veterum de ideis. Cum Rabbinis perperam comparantur a Caussino. Reales Spinozismi accusati a Baylio et Buddeo. Argumentum speciosum ex testimonio Abælardi. Cum Cabbalistis eorumque Sephiroth collati. Logomachiæ Scholasticorum in hac controversia. §. VII. Reliqua Scholasticorum de prima mentis operatione commenta. Reformatio frustra a Valla, Nizolio et Ramo tentata. Nizolius inter Nominales relatus, peculiarem tamen fovet sententiam. Ramus quid de universalibus statuerit? Melanchthon barbariem styli pellit, res non novat.

SECTIO III.

§. I. Ideæ ex Physica expulsæ. Aristotelici recentiores magni formarum fautores. Voetii contra Regium hanc ob rem zelus. Hostes formarum substantialium. Cartesius caute eas insuper habet. Majori vehementia ejus discipuli, aliique. In quo formam rerum ponant recentiores Physici. Robertus Boyle hac de re commendatus. Aliud principium alii quæsiverunt. Operatio mentis prima circa ideas ex Logica an proscribenda sit, disceptatur inter Thomasium et Titium. Quid in hac sectione tractandum.

§. II. Quid sit idea? de origine idearum vexata quæstio. Occasio cum causa non est confundenda. Lockii observatio de eo commendata. Variæ sententiæ Philosophorum de origine idearum. Aristotelicorum proponitur: species emanare putant. Quid desideretur in ea hypothesi.

Altera, ideas a mente produci et creari. Roëllii et Hanſchii de ea re mens. Quid aliis, maxime Leibnizio videatur? Difficultates in hac hypotheſi. Tertia, animam percipere ſine ideis, Arnaldi. Quid de ea moneri ſoleat? Quarta, Deum infundere vel creare ideas. Varia id ratione aſſeritur. Huc fautores ſyſtematis cauſarum occaſionalium, et inter eos Connorius referuntur. Quatenus huc pertineat Leibnizius. Fautores hujus ſententiæ in Belgio. Poireti de origine idearum ſententia. Ideas placito DEI creari: DEI ideam fundo animæ infundi: intellectum conjunctione cum effluviis objectorum jungi et in ea mutari. Ideas pictas ab intellectu produci. Quinta opinio Malebranchii, omnes ideas videri in DEO. Occaſio hujus ſententiæ. Argumenta quibus probatur. Explicatio ſententiæ. Lites hac de re ortæ inter Arnaldum et Malebranchium. Libri et argumenta utriusque recenſentur.

ſentur. Reliqui Malebranchii adverſarii. Non tamen eam ſententiam totam rejicit Leibnizius. Cum veterum Philoſophorum ſententia comparatur. Optimum aliis viſum circa originem idearum ignorantiam profiteri. §. III. Controverſiæ de ideis innatis. Variæ eruditorum ſententiæ. Carteſianorum, du Hamel, et Leibnizii hypotheſes, innatas ideas aſſerentes. Eas omnes proſcribit Lockius. Ejus argumenta et aſſeclæ. Sententia media Muſæi et Buddei; ejus fundamenta. Quæſtio de idea DEI innata. Carteſii argumentum ab illa deſumtum pro exiſtentia DEI: Non novum eſt; ſed ab Anſelmo Cantuarienſe jam productum, et ab Aquinate rejectum. Paralogiſmi accuſatur. Recentiſſimæ de eo lites. Quatenus ab aliis admittatur idea DEI innata? Poireti hac de re mens. §. IV. Reliqua de ideis. Senſationes quoque in ea doctrina explicatæ. Ideæ ſimplices an definiri poſſint?

possint? Negant plerique, affirmant suo modo Leibnizius et Syrbius. Ideæ substantiæ in concreto obscura est. Lockii de hac re verba. Quid ad ideam substantiæ requirat Leibnizius? §. V. De ideis veris et falsis. Nullam dari in ideis veritatem, omnem esse in propositionibus Lockius asserit. Dissentiunt alii. Ad logomachiam tota quæstio inclinare videtur. Num credi possint, quorum nullam vel obscuram tantum habemus ideam? Lites de hac quæstione inter Turretinum et Pfaffium. Vtriusque argumenta enumerantur. Leibnizii egregia observatio. §. VI. An dentur ideæ puræ? Cartesiani affirmantes. Buddei opinio. Hobbesius negat. Quid per corpus intellexerit? Defenditur a Gundlingio. Male se exprimit. Thomasii sententia. Associatio idearum a Lockio observata. §. VII. Epilogus.

Q. D. B. V.

Q. D. B. V.

HISTORIA PHILOSOPHICA DE IDEIS.

SECTIO I.

De Philosophorum Veterum placitis circa ideas.

§. I.

INTER decantatissimas veterum Philosophorum doctrinas nulla ferme fuit, quæ majori animorum contentione fuit agitata, quam dogma de ideis. Nam non solum, cum cognitionis in intellectu humano modus expo-

nendus erat, explicabatur, verum etiam, quotiescunque de rerum omnium γενέσει & ἀρχαῖς, sive primis illis, unde omnia orta sunt, principiis sermo erat instituendus, quæ certe res frequentissime gentiles Philosophos exercuit, toties vel in subsidium incertæ, a revelationis lumine remotis Philosophis, sententiæ adhibebantur, vel ab aliis, tanquam summum rei caput & quasi πρῶτον ψεῦδος contrariæ partis refutabantur & convellebantur. Quod prius a Platonicis, & quodammodo ab Aristotelicis quoque, posterius a Cynicis, Stoicis, & Epicureis factum esse, in sequentibus demonstrabitur. Ne vero mox in limine offendamus, id quidem prænotasse non abs re erit, Logicam vocis ideæ significationem ab ea paululum deflectere, qua vocem hanc in Physiologia adhibuerunt veteres Philosophi. Illi enim, qui ideas tantopere adamarunt, per eas uni-

ver-

versalia rerum, propriaque essentiis principia intelligentes, a rerum conceptibus ideisque umbratilibus, de quibus in rationali Philosophia quædam tradiderunt, separabant, propriaque substantia gaudentes fingebant, hinc magis in Metaphysica & Physiologia universi, quam in Logica considerandas. Id quod probe notandum est, ne recentiorum circa eas placita, cum Veterum sententia comparantes, eadem esse somniemus, quæ ex auctorum suorum mente sunt longe diversissima.

§. II.

Primus, qui in Philosophiæ dogmatibus de ideis certi quid asseruit, easque ad summam dignitatem evexit, fuit Plato, quem tamen aliquantum Socrates, & magis quidem sobria præcessit ratione. Etsi enim negari haud facile potest, Philosophos quosdam barbaricos (*a*)

& Pythagoreos eandem fere circa ſubſtantias illas intellectuales & rerum creatarum exemplaria habuiſſe ſententiam, quam Plato, multa ab iis edoctus, poſtea prolixius explicuit; Ariſtotelis tamen, (*b*) cui propter ætatem & teſtimonium αὐτήκοον plurimum in hac re deferri debet auctoritatis, & poſt eum Ciceronis quoque & Auguſtini affirmatione certum eſt, primum Platonem fuiſſe, qui ideæ vocem ad ejusmodi ſubſtantias adplicuerit, & de iis ex inſtituto in expoſitione principiorum univerſalium fuerit philoſophatus. Cujus rei occaſionem Plato (*c*) poſt Socratem ex Heracliti ſententia, omnia fluere, nec eſſe rerum ſenſibilium certa principia aſſerentis nactus eſt, præſertim cum plerique ejus & ſuperioris ætatis Philoſophi eandem ſententiam tuerentur, de qua in ſequentibus prolixius dicendi erit locus. Cum itaque vir haud obeſæ

naris facile suppleret, scientiam, quæ rerum immutabilium est, cum hac hypothesi, omnem prorsus cognitionis certitudinem in re naturali evertente consistere non posse, ejusmodi universalia excogitavit, vel potius a Barbaris & Pythagoreis suo modo jam asserta transsumsit, quæ sensibilibus addita scientiæ locum darent, & quibus ideæ nomen, in hac certe significatione hactenus inauditum, imposuit.

(*a*) Vix enim aliud per Chaldæorum Jyngas intelligi potest, præsertim si ea, quæ hodie de eorum doctrina supersunt, monumenta consulamus. PLETHO enim τὰ νοητὰ εἴδη, *intelligibiles species*, PSELLVS δυνάμεις τινὰς μετὰ τὸν πατρικὸν βυθὸν, *potentias quasdam post profunditatem* vel ex *profunditate paterna* vocat. Quin, si ORACVLA consulamus, quæ sub ZOROASTRIS nomine nota sunt, magis

inde confirmabitur hæc aſſertio. Ita enim v. 100. ſeqq.

Νȣ̃ς Πατρὸς ἐῤῥόιζησε νοήσας ἀκμήτι βȣλῇ
Παμμόρφȣς ἰδέας, πηγῆς δ' ἀπὸ μίας
ἀποπτᾶσαι
Ἐξέθορον· πατρόθεν γὰρ ἔην βȣλή τε τέ-
λος τε.

Mens Patris ſtriduit, intelligens in-
defeſſo conſilio
Omniformes ideas, fonte vero ab
uno evolantes
Exſilierunt; a Patre enim erat &
conſilium & finis.

Et v. 105.

Ἀλλ' ἐμερίσθησαν, νοερῷ πυρὶ μοιρη-
θεῖσαι
Εἰς ἄλλας νοερὰς, κόσμῳ γὰρ ἄναξ
πολυμόρφῳ
Προὔθηκεν νοερὸν τύπον ἄφθιτον, ȣ̓ κατὰ
κόσμον.
Ἴχνος ἐπειγόμενος μορφῆς καθ' ἃ κόσ-
μος ἐφάνθη,
Παντόιαις ἰδέαις κεχαρισμένος, ὧν μία
πηγή &c.

Sed

Sed divisæ sunt, intellectualem ignem
sorte nactæ
In alias intellectuales, mundo enim
Rex multiformi
Proposuit intellectualem typum in-
corruptibilem non ordine,
Vestigium properans formæ, prout
mundus apparuit
Omnigenis ideis donatus, quarum
unus fons &c.

Et v. 117. seqq.

Νοούμεναι Ἴυγγες πατρόθεν νοοῦσι καὶ
αὐταὶ
Βουλαῖς ἀφθέγκτοισι κινούμεναι ὥστε νοῆ-
σαι.

Intellectæ ideæ (Jynges) a Patre in-
telligunt & ipsæ,
Consiliis ineffabilibus motæ ut intelli-
gentes.

Sed omnia hic consulenda sunt, una cum iis, quæ Viri Celeberrimi, THOMAS STANLEIVS, & post eum JO. CLERICVS *in notis Philologicis ad Oracula* de hac re dixerunt. Cæcum enim

oportet esse, qui Platonis ideas hic non deprehendat. Modo hæc omnia Chaldæorum sint, nec sint multa, si non plurima a Platonicis ad magistri mentem iis supposita: cujus suspicionis admodum justæ, quin argumentorum robore non destitutæ disquisitio alterius loci est. Quod ad scholam Italicam attinet, eorum numeri cum Platonis ideis quam maxime conveniunt. Per eos enim similiter, ut Plato & ejus discipuli, intellexerunt τὰ ὄντως ὄντα, τὰ κατὰ ταυτὰ, καὶ ὡσαύτως ἀεὶ διατελοῦντα ἐν τῷ κόσμῳ, καὶ οὐδέποτε τοῦ εἶναι ἐξιςάμενα, οὐδὲ ἐπὶ βραχύ. Ταῦτ' ἂν εἴη τὰ ἄϋλα, καὶ ὧν κατὰ μετουσίαν ἕκαστον λοιπὸν, τῶν ὁμονύμως ὄντων καλουμένων τὸ δὲ τι λέγεται καὶ ἐςί: *Revera existentia, quæque secundum idem ac eodem semper modo sunt perfecta, & nunquam, ne minimo quidem temporis momento immutantur. Hæc vero esse expertia materiæ, ac quorum per participationem cætera, quæ æquivoce dicuntur esse, sunt ac dicuntur*; ut ex Pythagora habet NI-

COMA-

COMACHVS *in Arithmet.* Plura in hanc rem erudite cumulavit IO. SCHEFFERVS *de Philoſ. Ital. c. VIII. p. 56. ſeqq.* ad quem, ne prolixiores ſimus, lectorem remittimus. Vnde & Epicharmus, qui fluxum ſenſibilium, æque ac reliqui, ſtatuit, ejusmodi ſubſtantias, ex Schola Pythagorica deſumtas (erat enim auditor Pythagoræ, vid. LAERT. *l. VIII. ſ. 76.*) adhibuit, hinc inter ejus carmina, quæ in rem ſuam tranſtulit Plato, & hoc refert DIOG. LAERT. *l. III. ſ.* 10.

> Ἀλλ' ἀεί τοι θεοὶ παρῆσαν, καὶ ὑπέλιπον οὐ πώποκα
> Τάδε ἀεὶ πάρεσθ' ὅμοια, διὰ δὲ τῶν αὐτῶν ἀεί.
>
> *At ſemper Dii extitere, nec deſierunt eſſe unquam;*
> *Hæc autem (creata) adſunt ſemper ſimilia, & per eadem ſemper ſubſiſtunt.*

Addatur JAMBLICH. *in vita Pythag.* paſſim, imprimis *c.* 12. *p.* 65. Ed. Arcerii. Negari tamen non poteſt, ut

in se obscuram, ita incommodam quoque in applicatione ad ideas esse numerorum doctrinam. Quo sensu ARISTOTELES *Metaphysic. l. XIII. c.* 4. intelligendus videtur, quando doctrinam de ideis μηδὲν συνάπτουσαν πρὸς τὴν τῶν ἀριθμῶν φύσιν, *minime numerorum naturæ correspondentem* vocat. Quis enim alia in re, cujus claram ipsi auctores & patroni notitiam nunquam assecuti sunt, expectabit?

(*b*) Aristotelis locus mox adducetur. CICERONIS est in *Bruto* s. *de Oratore n.* 10. ubi ita: *Has rerum formas appellat ideas, non intelligendi solum, sed etiam dicendi gravissimus auctor & magister Plato.* Cui paria habet *Academ. Qq. l.* 1. *n.* 30. *Mentem volebant rerum esse judicem, solam censebant idoneam, cui crederetur, quia sola cerneret id, quod semper esset, simplex, uniusmodi, & tale, quale esset; hanc illi* (Academici) *ideam appellabant, jam a Platone ita nominatam, nos recte*

spe-

ſpeciem poſſumus dicere. AVGVSTINVS vero *de octoginta tribus Quæſt. Q. XLVI. T. III. Opp. p.* 388. Ed. Baſil. ita prorſus in rem noſtram: *Ideas primus appellaſſe perhibetur Plato; non tamen, ſi hoc nomen, antequam ipſe inſtitueret, non erat, ideo vel res ipſæ non erant, quas ideas vocavit, vel a nullo erant intellectæ, ſed alio fortaſſe atque alio nomine ab aliis atque aliis nuncupatæ ſunt. Licet enim cuique rei incognitæ, quæ nullum habet uſitatum nomen, quodlibet nomen imponere.* Vbi ſanctus Eccleſiæ Doctor, in Philoſophiæ hiſtoria peritiſſimus, ſine dubio ad ea digitum intendit, quæ ſupra de Barbaris & Pythagoreis monuimus, licet dubitanter (& id quidem caute) in tanta vetuſtiſſimorum monumentorum pariter atque doctrinarum incertitudine incedat. Succinunt ex recentioribus Viri in hoc eruditionis genere præſtantiſſimi IACOBVS THOMASIVS *in diſſ. de ideis Platonis exemplaribus, diſſert. acad.* 13. & JO. CLERICVS *in*

not.

not. ad Logicam P. I. c. 1. *§.* 2. *p.* 10. Hinc perſpici non poteſt, quomodo verbis SERRANI *T. III. Opp. Platon. argum. in Parmen. p.* 122. ſua conſtet veritas: Platonem non ex ſe inveniſſe hoc vocabulum, ſed illud ab antiquis Philoſophis tranſumſiſſe. Quo cum conſentit FRANCISCVS PATRICIVS *diſcuſſ. Peripat. T. III. l. V. p.* 326. qui multus in eo eſt, ut demonſtret, doctrinam de ideis Platone una cum nomine eſſe antiquiorem, & a Pythagoreis, Chaldæis, Orpheo aliisque tranſumtam. Qui tamen, quod in Viro antiquæ Philoſophiæ peritiſſimo merito mireris, ad Pſellum, Proclum, ad oracula Zoroaſtris, ad Mercurii Pœmandrum, & hujus generis monumenta alia, ſine dubio a Platonicis potiorem partem conficta vel adulterata provocat. Opponi quidem poſſet pro Platone, Parmenidem & Timæum Locrum fuiſſe in hac doctrina Platonis magiſtros, vocemque pariter atque ipſam rem illum ab eis accepiſſe: nihil

hil tamen ſolidi contra tam clara vetuſtatis teſtimonia evincitur, cum nemo ſit rerum Platonicarum tam ignarus, quem fugiat, Platonem ſua dogmata, vel ſaltem verba viris illis, quos in dialogis colloquentes introducit, ſuppoſuiſſe. Cujus egregium nobis ſervavit teſtimonium LAERTIVS *l. III. ſegm.* 35. φασὶ δὲ Σωκράτην, ἀκέσαντα τὸν Λύσιν ἀναγινώσκοντος Πλάτωνος, Ἡρακλεῖς, εἰπεῖν, ὡς πολλά μου καταψεύδεθ᾽ ὁ νεάνισκος, οὐκ ὀλίγα γὰρ, ὧν οὐκ εἴρηκε Σωκράτης, γέγραφεν ἀνήρ. *Ajunt, Socratem, cum Platonis Lyſidem audiſſet recitari, proh Dii immortales! dixiſſe, quam multa de me mentitur adoleſcens. Scripſit enim non pauca vir ille, quæ Socrates non dixit.* Paria aſſerit ATHENAEVS, quem citat ALDOBRANDINVS *ab h. l.* & *l. XI.* luculentius adhuc refert, Gorgiam & Phædonem pro ſuppoſitis ea quæ Plato dixit, agnoviſſe, immo addit: Παρμενίδη καὶ ἐλθεῖν εἰς λόγους τὸν τοῦ Πλάτωνος Σωκράτην, μόλις ἡ ἡλικία συγχωρεῖ, οὐχ ὡς καὶ τοιούτους εἰπεῖν, καὶ ἀκοῦσαι λόγους: *Parmeni-*

menidem cum Socrate Platonis confabulatum esse, ætas vix permittit, nedum hos vel illos sermones edisseruisse aut audivisse. conf. MENAGIVS *ad l. c. Laërt. T. II. p.* 152. Habet tamen, quod iterum moneat FR. PATRICIVS *l. c. p.* 327. in contrariam partem, Platonem scilicet ideæ vocem in hac doctrina non excogitasse. Quod ut confirmet, HIPPOCRATIS & POLYBII loca affert, quorum ille πολλὰς εἶναι ἰδέας τῶν νοσημάτων, alter τέσσαρες ἰδέας εἶναι τοῦ ὑγροῦ dixit. Sed nimio contra Aristotelem pugnandi fervore abreptus Vir cetera eruditissimus, & summa in Philosophiæ veteris historia cognitione imbutus τῇ ὑποθέσει δουλεύει, obtortoque collo rapit, quicquid hic quoque invenerat, ut dicam Philosopho scriberet. Non enim negavit Aristoteles, linguæ patriæ cultor accuratissimus, nec quisquam alius, vocis ideæ existentiam ante Platonem, sed formas illas & exemplaria divina, æterna, substantialia ita Platonem primum appellasse, & ad

eam

eam doctrinam nomen transtulisse, voce illa προσηγόρευσε asseruit. Id quod per adducta a Patricio loca non refellitur, ubi longe aliam significationem, nempe speciei, non diffitente ipso Viro doctissimo, habet. Conf. IAC. THOMAS. *Orat. XIII. l. c.*

(c) Narrat hoc clare ARISTOTELES *Metaphys. l. XIII. c.* 4. hunc in modum: συνέβη ἡ περὶ τῶν εἰδῶν δόξα τοῖς εἰποῦσι διὰ τὸ πεισθῆναι περὶ ἀληθείας τοῖς Ἡρακλειτείοις λόγοις, ὡς πάντων τῶν αἰσθητῶν ἀεὶ ῥεόντων, ὥστ' εἴπερ ἐπιστήμη τινὸς ἔσται καὶ φρόνησις, ἑτέρας δεῖν τινὰς φύσεις εἶναι, παρὰ τὰς αἰσθητὰς, μενούσας, οὐ γὰρ εἶναι τῶν ῥεόντων ἐπιστήμην. Ἀλλ' ὁ μὲν Σωκράτης τὰ καθόλου οὐ χωριστὰ ἐποίει, οὐδὲ τοὺς ὁρισμούς· οἱ δὲ ἐχώρισαν, καὶ τὰ τοιαῦτα τῶν ὄντων ἰδέας προσηγόρευσαν· ὥστε συνέβαινεν αὐτοῖς σχεδὸν τῷ αὐτῷ λόγῳ, πάντων ἰδέας εἶναι τῶν καθόλου λεγομένων. *Contigit vero opinio de ideis illis, qui propterea, quod de veritate persuasi essent, adhaeserant Heracliti placitis,*

citis, quod ſenſibilia omnia ſemper fluant. Quodſi igitur ſcientia alicujus rei vel prudentia ſit, oportere alias quoque exiſtere naturas permanentes præter ſenſibiles. Non enim fluentium dari ſcientiam. Verum Socrates quidem univerſalia non ſeparata poſuit, neque etiam definitiones. Illi vero ſepararunt, ac ejusmodi (univerſalia) ideas entium appellarunt. Quare fere accidit eis eadem ratione, ut omnium, quæ univerſaliter dicuntur, ideæ ſint. Ex quibus Ariſtotelis verbis apparet I. Heracliti hypotheſin: ſenſibilia omnia fluere, nec certi quid iis ineſſe, dediſſe occaſionem cogitandi de alio principio, quod conſtantem ponit & permanentem eſſentiam, adeoque ſcientiæ objectum eſſe poteſt. II. Socratem iſta univerſalia non ſeparaſſe & diſtincta ac ſeparata entia feciſſe, adeoque definitiones quoque rerum nondum enucleaſſe. III. Alios vero ea univerſalia ſeparaſſe, ideasque vocaſſe, ita ut tot ſint ideæ, quot rerum ſenſibilium univerſalia prædicari poſſint.

ſint. Platonem vero per τὸ οἱ δὲ intelligi ab Ariſtotele, alio loco luculenter innuit, quando *Metaphyſic. l. I. c. 6.* hunc in modum ſcribit: Μετὰ τὰς εἰρημένας φιλοσοφίας ἡ Πλάτωνος ἐπεγένετο πραγματεία, τὰ μὲν πολλὰ τοῖς Πυθαγορείοις τούτοις ἀκολουθοῦσα, τὰ δὲ καὶ ἴδια παρὰ τὴν τῶν Ἰταλικῶν ἔχουσα φιλοσοφίαν. Ἐκ νέου τε γὰρ συγγενόμενος πρῶτον Κρατύλῳ καὶ ταῖς Ἡρακλειτείοις δόξαις, ὡς ἁπάντων τῶν αἰσθητῶν ἀεὶ ῥεόντων, καὶ ἐπιστήμης περὶ αὐτῶν οὐκ οὔσης, ταῦτα μὲν ὕστερον οὕτως ὑπέλαβε. κ. τ. λ. *Poſt dictas Philoſophias diſciplina Platonis ſupervenit, in plerisque quidem iſtos ſecuta, quædam autem propria quoque præter Italicam ſententiam continens. Cum Cratylo enim a juvene converſatus, aſſuetusque Heracliti opinionibus, quod omnia ſenſibilia ſemper fluant, neque ſcientia de iis detur, hunc quidem in modum poſtea ſtatuit, etc.* Græca ipſa inſpicienda ſunt, Beſſarionis enim interpretatio admodum obſcura eſt: quemadmodum etiam Averroës hujus loci ſenſum plane corrupit, notatus propte-

rea a PETRO GASSENDO *Exercit. parad. adversus Aristoteleos Exerc. III. §. 12. p. m. 37. seq.* Conf. LAERT. *l. III. segm.* 6. et quæ notat MENAG. *ad h. l. T. II. p.* 139. Edit. Wetsten. Nec ipse Plato diffiteri id potuit, qui sub Parmenidis persona ita ratiocinatur, *in Parmenide* Opp. *T. III. p.* 135. Edit. Serrani: Ἐι δήγέ τις ἂυ μὴ ἐάσει ἔιδη τῶν ὄντων ἔιναι, ἐις πάντα τὰ δὴ νῦν καὶ ἄλλα ταῦτα ἀποβλέψας, μὴ δὲ ὁριεῖται ἔιδος ἑνὸς ἑκάστου, ουδὲ ὅποι τρέψει τὴν διάνοιαν ἕξει, μὴ ἐῶν ἰδέαν τῶν ὄντων ἑκάστου τὴν αὐτὴν ἀεὶ ἔιναι. καὶ ὅυτως τὴν τοῦ διαλέγεσθαι δύναμιν παντάπασι διαφθερεῖ. Quæ ita transtulit FICINVS *Opp. Plat. p.* 65. Ed. Basil. *Si quis species rerum existentium auferat, neque speciem ipsam uniuscujusque distinguat, haud sane reperiet, quo convertat intelligentiam, cum non permiserit ideam uniuscujusque rerum existentium eandem semper existere; et in hunc modum differendi etiam facultatem funditus subvertet.* Ex quibus verbis sole meridiano clarius patet, Platonem idearum exi-

ſtentiam ad ſcientiam & differendi facultatem neceſſariam exiſtimaſſe.

§. III.

Ex Platone itaque certiſſimæ deſumi debebant hujus doctrinæ definitiones, et hauriri idearum cognitio. Verum ſi fatendum, quod res eſt, tanta in hac materia laborat obſcuritate, ut ex ejus dialogis, (*d*) iisque, ubi hypotheſin hanc propoſuit, locis vix certi perſpicuique quid afferri poſſit. Quod ut Viri perſpicaciſſimi non diffitentur, (*e*) ita ſuas quoque habet cauſas et origines. Arcani enim diſciplinæ methodoque eſotericæ adſuetus Plato (*f*), quam a barbaris Pythagoreisque didicerat, docendi rationem conſervavit, quæque ſumma et maxime prima Philoſophiæ ſuæ erant capita, obſcurius & ita propoſuit, ut initiatis, et ſuæ tantum diſciplinæ adſcriptis paterent.

Accedit, quod Plato, dicendi graviſſimus auctor & magiſter, dum ſtili floridioris & Poëtici quærebat elegantiam, dicendique varietatem (*g*) copiamque, in re admodum ſubtili et abſtractionibus tota innitente minus accurate loqui, incommodeque haud raro ſententiam exprimere coactus ſit. Et huc illud quoque referendum eſt, quod ambigue ſæpe loquatur, et ideæ vox apud eum ſit πολύσημος. (*h*) Deinde multum quoque ad Platonis obſcuritatem contulit diſputandi ratio, qua, notante jam CICERONE, (*i*) nihil ab eo certi dicitur, vel affirmatur, ſed in utramque partem multa tantum diſputantur. Cujus rei rationem haud ineleganter Vir quidam doctiſſimus (*k*) inde derivavit, quod magna ex parte operam Plato collocavit in traducendis, refellendis, defricandisque Sophiſtis. Unde natum, quod in dialogis plerisque per anfractuoſas

diſpu-

disputationum ambages artificio singulari sibi invicem implicatas et innexas, in immensum ferme protracta dissertationis serie, veri certique sitiens lector, cum, quod pro certo statuatur, nihil occurrat, in quo pedem figat, ac securus acquiescat, vix ac ne vix quidem deprehendere queat. Neque aberrabimus a vero, si et hanc causam obscuritatis esse dicamus, quod Plato sibi ipsi interdum haud satis constet, (*l*) admodumque fluctuet, quod et saepius ei accidit, et in hac ipsa quoque de ideis sententia evenisse in sequentibus probabitur. Neque a recentioribus Platonicis clariora, nec ab interpretibus meliora expectanda sunt, qui ut sensum clarum redderent, sua saepe cogitata Platonis placitis supposuerunt. (*m*) Unde vel hoc tandem conficitur, omnem industriam ad conjecturas redire, idque pro Platonis sententia habendum esse, quod maxime reddi possit probabile.

(*d*) In

(*d*) In *Parmenide* et *Timaeo*, quibus addendus *liber VI. de Republica.*

(*e*) IO. SERRANVS enim *Platonis de ideis doctrinam obſcuriſſimam, et maximis difficultatum ſalebris involutam* vocat in *Argum. in Timaeum T. III. Opp. Platonis p.* 3. cui ſuccinunt GER. IOANN. VOSSIVS *de Philoſophorum Sectis c. XII. §. 11. T. III. Opp. p.* 301. ubi fatetur: *Platonem ambigue vel obſcurius de ideis plerumque locutum eſſe;* & IO. GEORG. PASCHIVS *Introduct. in rem liter. moral. Veterum c. I. §.* 16. ſuffixa tr. *de variis modis tradendi moralia p.* 533. qui, *doctrina*, inquit, *de ideis apud Platonem multis laborat difficultatibus, cum de illis ambigue et obſcurius plerumque locutus ſit.* Add. IACOB. THOMASIVS loco ſupra citato.

(*f*) Diſciplinam arcani, ſive arcanam docendi occultandique ſublimiores

tes doctrinas rationem apud Barbaros, Pythagoreosque Philoſophos floruiſſe, nemo negaverit, qui Hiſtoriam philoſophicam vel per tranſennam inſpexerit, conſulendique ſunt, quos nominarunt Germaniæ noſtræ Varrones IO. ALBERT. FABRICIVS in *Bibliograph. antiquar. c. XXI. §. 5. p.* 622. & CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS *Primit. Tubing. T. II. p.* 150. Et de Pythagoreis quidem videndus LAERTIVS *l. VIII. §.* 15. apud quem fatentur, μὴ εἶναι πρὸς πάντας πάντα ῥητὰ, *non eſſe omnia exponenda omnibus*, unde λόγους ἀποῤῥήτους præcipue doctrinam de Deo vocari PROCLVS *ad Platonem* obſervavit. Imprimis notandus eſt egregius locus, quem eruditiſſimus MENAGIVS in *not. ad l. c. Laërt.* ex CLEMENT. ALEXANDR. *l. V. Stromat.* affert, ubi verſatiſſimus in veterum Philoſophorum hiſtoria hic Eccleſiæ Doctor refert, Ἵππαρχον τὸν Πυθαγόρειον, αἰτίαν ἔχοντα γράψασθαι τὰ τοῦ Πυθαγόρου σοφῶς, ἐξελασθῆναι τῆς διατρι-

ἔτι, καὶ στήλην ἐπ' αὐτῷ γενέσθαι διὰ νεκρῷ· διὸ καὶ ἐν τῇ βαρβάρῳ φιλοσοφίᾳ νεκρὲς καλᾶσι τὲς ἐκπεσόντας πάθεσι τοῖς ψυχικοῖς. *Hipparchum Pythagoreum accusatum, quod aperte scripsisset decreta Pythagoræ, expulsum fuisse ex schola, et ob id ipsum tanquam mortuo positam columnam fuisse. Quocirca etiam in barbara Philosophia vocant mortuos, eos qui exciderunt a dogmatibus, & mentem subjecerunt animæ perturbationibus.* Vbi ad recte intelligenda ultima verba eleganter Vir acutissimus monet, morem fuisse Pythagoreis cenotaphia ponendi iis, qui ex disciplina sua defecerant, et arcaniora dogmata in vulgus emiserant. Verum consulendus hic IO. SCHEFFERVS in laudatissimo opere *de nat. & constit. Philos. Ital. c. X. XI. p. 28. seqq.* Plato itaque Philosophiam colens τὰ πολλὰ τοῖς Πυθαγορείοις ἀκολεθέσαν, *in plerisque Pythagoreos sequentem*, ut ARISTOTEL. *Metaph. l. I. c. 6.* refert, haud raro huic methodo Philosophiam suam attemperavit, notatus ideo a

GER.

GER. IO. VOSSIO *de ſect. Philoſ. c. XII. §. 16. T. III. opp. p.* 301. ubi etiam exemplum adducitur. Nec obſcure id prodidit ipſe PLATO *in Timæo Opp. T. III. p.* 28. ubi ſub Timæi perſona: Τὸν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. Quæ haud incommode ita tranſtulit SERRANVS: *Illum quidem quaſi parentem hujus univerſitatis invenire difficile, et quum jam inveneris, indicare in vulgus nefas.* Conf. *Ep. VII. T. III. opp. p.* 341. & quæ collegit Cl. M.G. HANSCHIVS *de Enthuſiaſmo Platon. Sect. IV. §.7. p.* 50. *ſeq.* Mirum itaque haud eſt, Platonis placita τοῖς ἀμυήτοις eſſe obſcuriora.

(*g*) Platonem eloquentiæ laudem quæſiviſſe, et fuiſſe quoque aſſecutum, res eſt ſatis nota, legentibusque ejus ſcripta ubivis obvia, unde dictum illud: Jovem Platonis lingua uſurum, ſi Græce loqui vellet. Fecit tamen hæc eloquentiæ affectatio,

ut præter abundantem nimis orationis numerum poeticis quoque, et id quidem satis audacter, indulgeret metaphoris. Id quod in rebus tam abstractis haud exiguam parit obscuritatem. Satius enim est, cum Aristotele aliqua non satis Attice proferre, quam cum Platone in rebus Philosophicis magis dictione lascivire, quam in comoedia. conf. VOSSIVS *l. c. §. 15.* Doctrinam vero hanc esse admodum in se quoque difficilem ipse fatetur PLATO sub persona *Parmenidis T. III. Opp. p. 135.* Δοκεῖ ἀνδρὸς πάνυ μὲν ἐφυοῦς εἶναι τοῦ δυνησομένου μαθεῖν, ὡς ἐστὶ γένος τι ἑκάστου, καὶ οὐσία αὐτὴ καθ᾽ αὐτήν· ἔτι δε θαυμαστοτέρου, τοῦ εὑρήσοντος καὶ ἄλλου δυνησομένου διδάξαι πάντα ταῦτα ἱκανῶς διευκρινησάμενον. *Videtur Viri admodum ingeniosi esse, percipere posse, quodnam sit ipsum per se cujusque, et ipsa secundum se essentia cujusque, nec non mirabilioris officium Viri esse, hæc postquam invenerit, alios docere posse, sufficienter omnia differentem.*

(*b*) Lu-

(*b*) Luculenter ea, quæ diximus, probat DIOGENES LAERTIVS *l. III. ſegm.* 63. ubi de Platone ait: Ὀνόμασι κέχρηται ποικίλοις, πρὸς τὸ μὴ εὐσύνοπτον εἶναι τοῖς ἀμεθέσι τὴν πραγματείαν. *Nominibus utitur variis, ut ne illius opera imperitis et rudibus conſpicua ſint.* Ad quem locum quæ MENAGIVS notavit, admodum digna ſunt, quæ conſulantur. Inde enim diſcimus, hanc quoque cauſam fuiſſe, cur plures lexicon Platonicarum phraſium conſcriberent. Cæterum et SVIDAS fatetur, *in voce* Φαῦλος: Πλάτων κέχρηται ἐπὶ διαφερόντων σημαινομένων τοῖς αὐτοῖς ὀνόμασι. *Plato utitur in diverſis ſignificationibus iisdem nominibus.* Et hoc in præſenti quoque evenit materia. Teſte enim LAERTIO *l. c. ſegm.* 64. Plato χρῆται καὶ ταῖς ἐναντίαις φωναῖς ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ· καλεῖ τὴν ἰδέαν, οὔτε κινόμενον, οὔτε μένον, καὶ ταυτὸ, καὶ ἕν, καὶ πολλά. *Utitur contrariis vocibus, ut idem ſignificet. Ideam appellat, quod neque movetur, neque manet, & idem, & unum, & multa.*

Et

Et paulo ante : Πολλάκις καὶ διαφέρουσιν ὀνόμασιν ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ σημαινομένου χρῆται. Τὴν οὖν ἰδέαν καὶ εἶδος ὀνομάζει, καὶ γένος, καὶ παράδειγμα, καὶ ἀρχὴν καὶ ἄιτιον. *Sæpius quoque diversis utitur Plato nominibus in eadem re significanda. Ideam enim & speciem nominat, & genus, & exemplar & principium, & causam.*

(*i*) *Qq. Academ. l. I. n. 46. in Platonis libris nihil affirmatur, & in utramque partem multa disseruntur, de omnibus quæritur, nihil certi dicitur.* Delineavit egregie hanc in Platone occurentem difficultatem Illustrissimus olim Abrincensium Præsul PETR. DAN. HVETIVS, in *cogitat. miscellaneis*, quæ post ejus mortem sub *Huetianorum* nomine prodiere *p.* 218. hunc in modum : *il est aisé de former un jugement fixe et certain de ses dogmes : il n'a point de methode reglée pour traiter les matieres : il ne donne presque aucunes definitions ni divisions ; ou s'il le fait, c'est avec une obscurité affectée, pour ne se point*

point departir de ce grand principe de l'Academie ſur l'incertitude de nos connoiſſances, et ſur la foibleſſe de l'éſprit humain. S'il n'a donc point eu de methode, ce n'eſt pas, qu'un genie ſi élevé ne connût le prix de la methode, lui, qui a ſi bien entendu l'uſage d'analyſe; mais il a cru inutile de raiſonner methodiquement, pour parvenir de connoiſſances, qui ſont hors de la portée de nôtre eſprit. Sa methode donc eſt de n'en point avoir, et de traiter les queſtions problematiquement, de faire voir le fort & le foible de diverſes opinions, d'expoſer toutes les raiſons de douter, et de renvoyer ſon lecteur plus inſtruit et plus incertain qu'il n'étoit.

(*k*) Cel. Jurisconſultus IO. NICOL. HERTIVS *Opuſc. de ſelect. et rarioribus ex Jurisprud. univerſ. argumentis. T. I. p. 42. ſeqq.* Non tamen hoc eo extendendum eſt, ac ſi unicus ſcopus Platonis fuerit, Sophiſtas more Academico deridendos dare. Sæpe enim pro-

propriæ hypotheſeos decreta inſerit, & quid ſentiat, attentum lectorem præter expectationem docet. Et obſervavit quidem jam LAERTIVS *L. III. ſegm.* 51. ὅτι πολλὴ ςάσις ἐςὶ, καὶ οἱ μὲν φασὶν, αὐτὸν δογματίζειν, οἱ δὲ οὔ. *Quod multa ſit contentio, cum alii dicant dogmaticum fuiſſe, ſive dogmata protuliſſe, aliis negantibus*, quod deinde latius perſequitur. Vbi recte ALDOBRANDINVS *in notis ad h. l.* in affirmativam abit ſententiam, eamque rationibus firmat. Rarius tamen, & obſcurius, quam par erat, Philoſophiæ ſuæ decreta expoſuit Plato. Cæterum quam peroſa fuerit ſanis Philoſophis Sophiſtarum gens, et quam libenter eorum ſtrophas artificioſa diſputatione, imprimis vero prudenti ἐποχῇ & prætenſa ἀκαταληψίᾳ everterint, tota Græcanicæ Philoſophiæ hiſtoria loquitur. Vti enim illi de quavis materia in utramque partem diſſerere poſſe gloriabantur, cujus rei auctores facit CICERO Prodicum Chium, Prota-

goram

goram & præcipue Leontinum Gorgiam *de Oratore l. III. n.* 128. *ſeqq. l. I. n.* 103, ita iis imprimis Sapientiſſimus Socrates teſte EODEM *l. c.* obviam ivit, eamque diſputandi cum illis rationem iniit, ut illum, contra quem diſputaret, ſuis verbis teſtem falſitatis erroriſque haberet; quæ res Sophiſtas admodum excruciavit. Teſtatur id Epictetus apud ARRIANVM *l. II. c.* 12. ubi de Socrate ait: Αὐτὸν ἠνάγκαζε τὸν προσδιαλεγόμενον αὐτῷ μαρτυρεῖν, ἄλλου δὲ οὐδενὸς ἐδεῖτο μάρτυρος. Τοῦ γὰρ οὖν ἔξην αὐτῷ λέγειν, ὅτι τοὺς μὲν ἄλλους ἔω χαίρειν, ἀεὶ δὲ τῷ ἀντιλέγοντι ἀρκοῦμαι μάρτυρι. *Eum, quocum colloquebatur, cogebat eſſe teſtem contra ſe ipſum, nec ullo alio teſte indigebat. Itaque licebat ei dicere: valeant reliqui omnes, ſatis ſemper mihi eſt, habere teſtem eum, qui mihi contradicit.* Eadem veſtigia ſecutus Plato, Socratem ſæpiſſime ita diſputantem introduxit. vid. *de Republ. l. VI. T. II. Opp. p.* 494. Conf. IO. CLERICVS *Art. Crit. P. II. S. I. c.* 17. *§.* 4. *p.* 340.

Adde,

Adde, si placet, quæ de Pyrrhonis & aliorum contra Sophistas studio diximus *Miscellan. Lipsiens. Tom. V. p.* 243. *seqq.*

(*l*) Reprehendit hoc in Platone CYRILLVS ALEXANDRINVS *l. II. contra Jul. p.* 66. his verbis: Ἰδέας ποτὲ μὲν ἐσίας, καὶ ὑφισάναι καθ' ἑαυτὰς διισχυρίζεται Πλάτων, ποτὲ δὲ καὶ ἐννόιας εἶναι τῦ Θεῦ διορίζεται. Πλὴν ὅπωσπερ ἂν ἔχοι καὶ τοῖς αὐτῦ μαθηταῖς ἀπαρέσκοντον εἶναι φασὶ ἐπὶ τῷ δὲ λόγον οἱ ταῦτα τεχνῖται. *Ideas interdum substantias esse, ac per se subsistentes affirmat Plato: alias Dei notiones esse definit. Verum quomodo se res habet, etiam illius discipulos non approbasse dicunt ejus rei periti.* Aliam probationem infra dabimus.

(*m*) Commentatores Platoni non defuisse in vulgus notum est, et Vir πολυμαθέστατος IO. ALB. FABRICIVS in præstantissimo opere *Bibliotheca Græca* satis prolixe exposuit. Quod si tamen

men eos cum ipſo Platone, iisque, qui ætate ei proxime acceſſerunt, comparemus, facile concedemus, quod dictum eſt, eos Platonem ita fuiſſe interpretatos, in hac præſertim doctrina, ut ipſis videbatur veritati conſentaneum. Unde eos, non quid Plato dixerit, ſed quid dicere debuerit, expoſuiſſe accurate judicat IO. CLERICVS *in not. ad Orac. Zoroaſtris in Hiſt. Phil. Orient. Stanleji.* Quod ad interpretes Platonis Latinos attinet, Marſilius Ficinus, & Ioannes Serranus eruditorum teruntur manibus. Quorum primus multam quidem Platonicæ Philoſophiæ, Platonisque operibus impendit operam, indeque magnam laudem meruit; vid. THOM. POPE-BLOVNT *Cenſur. celebr. auctor. p.* 492. Sæpe tamen, ubi litera ſententiæ ſuæ non favet, neſcio quæ myſteria allegoriarum ſubſidio quærit, totusque Platonis amore captus eſt; unde ei non omnino fidendum eſſe monet FRANCISC. PICVS *de Vanit. Aſtr. l.V. c.* 6.

et post eum IO. BAPTISTA CRISPVS in rarissimo opere *de Ethnicis Philosophis caute legendis*, cujus tamen primum tantum quinarium *de Platone caute legendo* nobis dedit, *Distrib. II. l. VI. p.* 270. qui quoque in præfatione operis eundem haud obscure una cum Steucho Eugubino, licet nomine non appellatum pungit. Cujus verba eo magis libet hic afferre, quia non tantum rei lucem affundunt, sed & liber paucissimorum manibus teritur, quin et viris rei literariæ longe peritissimis ignotus est, non tamen MORHOFIO, id quod in doctissima hujus libri recensione putat Cel. HEVMANNVS *Act. Phil. Vol. II. p. XII. p.* 922. fecit enim ejus mentionem in *Polyhist. liter. T. II. l. II. p. I. c.* 11. *§.* 8. *p.* 212. licet satis appareat, eum notitiam hujus auctoris ex SAM. PARCKERI *Censura Philosophiæ Platonicæ*, eum vehementer commendante, hausisse, & vix propriis oculis usurpasse. Ita vero loco citato: *Videmus, et alieno quidem peri-*

periculo non ita pridem experti ſumus, quamvis ab antiquis morem ductum temporibus; Platonis verborum atque ſententiarum talem interpretandi uſum, atque ita religioſe a quibusdam fuiſſe obſervatum, ut nihil ab eo, (eſto quamvis exorbitans) dictum ſit, quod allegoriarum machinis ad rectum ſenſum non perducatur. Quod vero ad Serranum attinet, is in curandis Platonis ſcriptis fidem et accurationem inſtituto parem minime attuliſſe viſus eſt, præſertim cum contra fidem omnium ſeculorum Platonis dialogos ſcholaſtica methodo diſponeret, argumenta dialogorum confunderet, neque tamen ſecus ac alii allegorice explicaret, quæ non intellexit. Verum conſulendus eſt de utroque CLAVDIVS FLEVRY diſſ. *de Platone* ad calcem libri *de meth. ſtud.* p. 296. ſeqq.

§. IV.

Huc tamen, ſi accurate attenderimus, cuncta redeunt. Ideæ

Platoni sunt æterna rerum sensibilium exemplaria et formæ, quæ propria substantia gaudent, et ratione atque intelligentia suo modo continentur. (*n*) Has rerum creatarum species vel DEI, vel hominis respectu considerandas esse voluit, ita, ut illi quasi sint exemplares, hisce scientificæ. Quod ad primum modum attinet, introduxit Plato mundum creantem et exornantem DEUM, qui ex materia semper et ab æterno (*o*) necessario existente libere mundum fabricatus est. Quod ut effectui daret summus ille opifex, produxit, secundum mentem Platonis, ex se ejusmodi formas speciesque, easque propria sibique constanti substantia donavit, ut eas in condendis rebus sensibilibus intueretur: quemadmodum pictores expressam imaginem intueri solent, ut ejus similitudinem forment. Et ad hujus mundi intelligibilis spe-

ſpeciem condidit ille ſummus artifex mundum ſenſibilem, et formavit præexiſtentem nudamque materiam, in infinitas ſpecierum creatarum varietates. Haud aliter (*p*) ac architectus ex lignis lapidibusque, qui jam debent eſſe præſto, ad exemplar, quod mente formavit, & deinde depinxit, vel ſimilitudine expreſſit, ædificium ſolet extruere.

(*n*) Audiendus ante omnes ipſe PLATO, qui in *Timæo* varia de hac re habet. Nam *T. III. Opp. p.* 28. ſ. ait: Τό, δε ἐπισκεπτέον περὶ αὐτȣ̃ (κόσμȣ) πρὸς πότερον τῶν παραδειγμάτων ὁ τεκταινόμενος αὐτὸν ἀπειργάζετο, πότερον, πρὸς τὸ κατὰ ταυτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχον; ἢ πρὸς τὸ γεγονός· ἐι μὲν δὴ καλός ἐςιν ὅ, τε κόσμος, ὅ, τε δημιȣργὸς ἀγαθὸς, δῆλον, ὡς πρὸς τὸ ἀΐδιον ἔβλεπεν, ει δὲ (ὅ μηδ᾽ ἐιπεῖν τινὶ θέμις) πρὸς τὸ γεγονός. Παντὶ δὲ σαφὲς, ὅτι πρὸς τὸ ἀΐδιον. *Illud conſiderandum*

dum est de universo, ad quod exemplar opifex illud sit architectatus effeceritque; an ad illud, quod earum est rerum, quæ eodem modo semper habent, quod semper unum et idem et sui simile, an ad id, quod generatum ortumque discimus. Atqui si pulcher est hic mundus, si bonus est ejus opifex, perspicuum est, ipsum ad sempiternum illud exemplar respexisse; sin minus, (quod dictu quidem nefas est) generatum exemplar sibi proposuit. At quilibet sane perspexerit, sempiternum exemplar sibi proposuisse. Et in eodem dialogo: ὁμολογητέον εἶναι, τὸ κατὰ ταυτὰ ἔχον εἶδος ἀγέννητον, καὶ ἀνώλεθρον, ὄυδὲ εἰς ἑαυτὸ εἰσδεχόμενον ἄλλο ἄλλοθεν, ὄυτε αὐτὸ εἰς ἄλλο ποιὸν, ἀόρατον δὲ καὶ ἄλλως ἀναίσθητον τοῦτο ὃ δὴ νόησις εἴληχεν ἐπισκοπεῖν. *Necesse est, esse speciem, quæ semper eadem sit, sine ortu atque interitu, quæ nec in se accipiat quidpiam aliud aliunde, nec ipsa procedat ad aliud quidpiam, sensuque corporis nullo percipiatur, atque hoc est, quod ad solam intelligentiam pertinet.* In *Parmenide* vero

T. III.

Tom. III. p. 135. ὡς ἐστὶ γένος τὶ ἑκάςȣ, καὶ ȣ̓σία αὐτὴ καθ' αὑτὴν. *Est genus rei uniuscujusque, & essentia ipsa, ex se ipsa.* conf. ib. *p.* 132. & in *Timæo Locro de anima mundi p.* 93. Plura ex Platone in utroque hoc dialogo occurrentia non cumulamus. Eadem ratione præter Clementem Alex. modo adductum not. l. accurate CICERO *de Oratore n.* 10. Platonis mentem expressit: *Has rerum formas appellat ideas Plato, easque gigni negat, et ait, semper esse, ac ratione et intelligentia contineri.* Attici Platonici locum mox producemus. ALCINOVS vero *de Doctrina Platonis c.* 9. hunc in modum: Ἐςὶ δὲ καὶ ἡ ἰδέα ὡς μὲν πρὸς θεὸν, νόησις αὐτȣ̃, ὡς δὲ πρὸς ἡμᾶς, νοητὸν πρῶτον, ὡς δὲ πρὸς τὴν ὕλην, μέτρον, ὡς δὲ πρὸς τὸν αἰσθητὸν κόσμον παράδειγμα, ὡς δὲ πρὸς αὐτὴν ἐξεταζομένη, ȣ̓σία. Καθόλȣ γὰρ πᾶν τὸ γινόμενον κατ' ἐπίνοιαν πρός τι ὀφείλει γίνεσθαι. ὥσπερ εἰ ἀπό τινος τι γένοιτο, ὡς ἀπ' ἐμȣ̃ ἡ ἐμὴ εἰκὼν, δεῖ τὸ παράδειγμα

προϋποκεῖσθαι· εἴτε καὶ μὴ εἴη ἔξω τὸ παράδειγμα, πάντη πάντως ἕκαςον ἐν αὐτῷ παράδειγμα ἰσχὸν τῶν τεχνιτῶν τὴν τούτου μορφὴν τῇ ὕλῃ περιτίθησιν. Ὀρίζονται δὲ τὴν ἰδέαν παράδειγμα τῶν κατὰ φύσιν αἰωνίων. *Est autem idea, quod ad DEum attinet, notio DEI, ad nos vero, primum intelligibile, ad materiam, modus, ad mundum hunc, qui in sensus cadit, exemplar, ad se ipsum vero, essentia. Quicquid enim adhibito fit intellectu, ad aliquid referri necesse est. Quemadmodum si aliquid ab aliquo fiat, ut a me mei ipsius imago, ejus exemplar poni prius oportet. Etsi externum nullum sit, unusquisque artifex in se ipso id primum concipiens, ejus dein formam in materiam transfert. Definiunt autem ideam exemplar æternum eorum, quæ sunt secundum naturam, etc.* Add. loca jam adducta, et LAERTIVS *l. III. segm.* 77. seqq. Ex dictis jam facile patet, recte supra ideam ex mente Platonis fuisse definitam, eumque peculiares substantias propria essentia per se æternum subsistentes

ſtentes intellexiſſe; id quod propter ea, quæ in ſequentibus dicentur, admodum eſt notandum.

(*o*) Id quidem luculenter evincunt teſtimonia, ex quibus innoteſcit, Platonem materiam (non tamen mundum, quem in tempore genitum multa eloquentia in Timæo demonſtrat) æternam ſemperque exiſtentem feciſſe. Clare enim in *Timæo Locro T. III. Opp. p.* 94. aſſeritur: Ταυτὰν τὰν ὕλαν αἴδιον μὲν ἔφα, οὐ μὰν ἀκίνατον, ἄμορφον δὲ καθ᾽ αὐτὰν καὶ ἀσχημάτιστον, δεχομέναν δὲ πᾶσαν μορφάν. *Hanc materiam ajebat* (Timæus Locrus) *eſſe ſempiternam, non vero immobilem; & ab omni forma et figura per ſe immunem et liberam, quaslibet tamen formas recipientem.* Succinit AVCTOR *philoſophumenorum*, quæ Origeni perperam adſcribuntur *c. XIX. p.* 111. τὴν ὕλην ἀρχὴν εἶναι (φασὶ) καὶ σύγχρονον τῷ Θεῷ ταύτην, *Materiam principio eſſe, dicunt* Platonici, *eamque æquævam Deo.*

 Et

Et ea quidem hactenus a nemine negantur. Difficilior vero quæstio est, num Plato ita coævam DEO materiam voluerit, ut ab eo plane non dependeat, nec unquam producta vel genita sit? Id quod et plerorumque gentilium philosophorum fuit effatum, ex nihilo nihil fieri posse autumantium, et Platoni quoque plerumque imputatur. Inter veteres enim PLVTARCHVS περὶ τῆς ἐν Τιμαίῳ κοσμογενίας *T. II. Opp. p.* 1014. de Platone: τὴν οὐσίαν καὶ ὕλην, *inquit*, ἐξ ἧς γέγονεν, οὐ γενομένην, ἀλλ᾽ ὑποκειμένην ἀεὶ τῷ δημιουργῷ εἰς διάθεσιν καὶ τάξιν αὐτῆς παρασχεῖν. *Subſtantiam et materiam, ex qua factus eſt mundus, non natam, ſed ſemper ſubjectam opifici diſponendam et ordinandam ſe præbuiſſe.* Locum integrum adduxit IACOBVS WINDETVS in *ſtrom. epiſt. de vita functorum ſtatu ex Ebræorum et Græcorum inter ſe comparatis ſententiis Sect. III. p. m.* 36. ſeqq. ubi multa egregia acervantur, et poſt eum Vir præſtantiſſimus IO. CHRISTOPHORVS

RVS WOLFIVS in egregio prorsus tractatu *de Manichaeismo ante Manichaeos Sect. II. §. 32. p. 125.* ubi etiam hoc ipsum, de quo agimus, eruditissime confecit, et ostendit, Platonem omnino materiam ἀγέννητον, et a DEO independentem posuisse. Huic tamen sententiae sunt alii, qui contradicunt contenduntque, Platonem materiam quoque a primo Deo genitam esse asserere. Adducitur enim fragmentum HIEROCLIS ex libro *de providentia & fato*, quod apud PHOTIVM in *Bibliothec. Cod. 251.* his verbis occurrit: Κατὰ Πλάτωνα θεὸν αὐτὸν πρεσβεύουσιν ἡ σκέψις πάσης ἀφανοῦς διακοσμήσεως δημιουργὸν, ὃν ἐκ μηδενὸς προυποκειμένου προαγαγεῖν τὸν τεχνίτην. ἀρκεῖν γὰρ αὐτῷ εἰς ὑπόστασιν. *Haec speculatio juxta Platonem Deum ipsum statuit omnis adspectabilis mundi opificem, quem e nulla re subjecta artifex eduxerit, cum propria ejus voluntas sufficiat, ut res existat.* In eandem sententiam descenderunt Patres quidam, quos una cum Hierocle testes

ſtes adducit PETR. DANIEL HVETIVS *Quæſt. Alnetan.* *l. II. c. V. p. m.* 109. ſeq. minime tamen idoneos, et maxime ſuſpectos, quippe quorum, ut ipſius Hieroclis, licet diverſiſſima animi intentione, ſtudium Platonem cum dogmatibus Chriſtianæ fidei conciliandi ſatis ſuperque notum eſt. Præter Huetium RADVLPHVS quoque CVDWORTHVS in *Syſtem. intellect.* *l. I. c.* 4. *p.* 217. ſeqq. recentiorum Platonicorum auctoritate motus a duplicis principii errore Platonem abſolvit, quem ſecutus fuerat laudatus WOLFIVS in *notis ad Orig. philoſophum. p.* 112. qui tamen, ut ex adducto loco apparet, meliora edoctus ſententiam mutavit. Ad cujus dubia diſtinctione inter Deum primum, & architectum mundi a FICINO ad *Timæum Platonis c. IX. p.* 677. *ſeq.* Edit. Baſileenſis jam propoſita ita reſponderi poſſe putat Vir quidam celeberrimus, et in hac eruditionis parte longe verſatiſſimus, quem multis nominibus veneramur, diſſert.

de

de orig. Atheismi p. 15. ut materia a summo bono gigni, ab intellectu vero formari dicatur; quo pacto Hierocles cum Plutarcho facile conciliari possit. Nos id nobis minime arrogamus, ut litem hanc componere posse persuasum habeamus, interim tamen et nostram sententiam dixisse, et rationes attulisse, cur Platonem absolvere nequeamus, Lector benevolus non ægre feret. Scilicet non ex Patrum et recentiorum Platonicorum, nimis magistrum cum sacræ Scripturæ placitis conciliare festinantium assertis, sed ex ipso Platone, iisque, qui ut ætate propiores ei fuerunt, ita animum ad ejus Philosophiæ contemplationem attulerunt isto præjudicio nondum impeditum, res conficienda est. Platonicos enim recentiores ita Platonem explicasse, ut non, quid dixerit, sed quid dicere debuerit, appareat, et ipsa Platonis cum illorum commentariis instituta collatio manifeste prodit, et ex vero judicant justi

in

in hac re arbitri IO. CLERICVS *loco supra laudato*, & IAC. THOMASIVS *de exustione mundi Stoica p.* 37. Et hinc ratio quoque patet, cur Plutarcho in recensendis Platonis hypothesibus, præsertim, ubi cum Platone conspirat, plus fidei tribuendum sit, quam Hierocli, Ficino, quique reliqui sunt recentiorum seculorum Platonis sequaces. Sed nec Plutarchi testimonio egemus; ita enim Plato de materia locutus est, ut nobis quidem via non pateat, qua ejus doctrina cum illa: materiam a primo summoque ente sive bono esse genitam, conciliari possit. Vti enim Plato cum reliquis Philosophis plerisque credidit, ex nihilo nihil fieri posse, quam ob rem, inter dicta Epicharmi, quæ Plato secutus est, et assumsit, etiam hoc refert DIOG. LAERTIVS *l. III. segm.* 10. ἀμήχανον γ' ἀπό τινος μηδὲν ὅτι πρᾶτον μόλοι. *Fieri nequit, ut a nihilo quid primum proveniat*; Ita etiam materiam æque ac alii Philosophi gentiles constituebat originem

nem mali, non abusu libertatis degenerantem; est enim principium passivum sive necessarium; sed ex natura sua ita primum constitutam, semperque et libertati et bono adversantem. Patebit hoc vel initia Timæi Locri de *anima mundi* (quæ ipsum Platonem statuisse nemo temere negabit) consulenti. Ita enim *Opp. T. III. p.* 93. Δύο αἰτίας εἶμεν τῶν συμπάντων· νόον μὲν τῶν κατὰ λόγον γιγνομένων· ἀνάγκαν δὲ τῶν βίᾳ κατὰς δυνάμεις τῶν σωμάτων· τουτέων δὲ, τῶν μὲν, τὰς τἀγαθῶ φύσιος εἶμεν, θεόν τε ὀνυμαίνεσθαι, ἀρχάν τε τῶν ἀρίστων, τὰ δ' ἑπόμενά τε καὶ συναίτια, εἰς ἀνάγκαν συνάγεσθαι. *Duas esse*, Timæus dixit, *rerum omnium causas: mentem quidem earum, quæ juxta rationem; necessitatem vero, quæ vi fiunt secundum corporum facultates. Harum rerum autem unam naturæ bonæ conditricem esse, Deique nomine gaudere, atque optimorum principium haberi, consequentia vero ac concurrentia necessitati accepta ferri.* Conf. WIN-

WINDETVS, l. c. qui etiam circa ultima verba lectorem remittit ad *Dissert. XXV.* MAXIMI TYRII, STOBAEI *physf. eclog. c. I.* & PROCLVM in *hunc Timæi locum.* Id vero imprimis notandum est, principium illud boni vocari ἀρχὴν ἀρίςων atque DEum, eoque neminem nisi summum primumque DEum, seu, ut Ficinus vocat, summum bonum intelligi posse, cui necessitas sive materia plane ἀδέσποτος omnibusque affectionibus et proprietatibus contraria opponitur. Ast audiendus ipse PLATO *in Theæteto T. I. Opp. p.* 176. ita disserens: ἀλλ' ἔτ' ἀπολέσθαι τὰ κακὰ δυνατὸν, ὑπεναντίον γάρ τι τῷ ἀγαθῷ ἀεὶ εἶναι ἀνάγκη. *Fieri non potest, ut mala pellantur, contrarium enim aliquid bono semper esse necesse est.* Quin in *Timæo T. III. p.* 30. potentiam DEI in condendis bonis restringit ad conditionem materiæ, his verbis: βουληθεὶ ὁ Θεὸς ἀγαθὰ μὲν πάντα, φαῦλον δὲ μηδὲν εἶναι κατὰ δύναμιν. *Voluit DEUS bona facere*

omnia,

omnia, malum autem nullum esse, quantum natura sive materia pateretur. Consentit relatio DIOG. LAERT. *l. III. segm.* 69. Δύο τῶν πάντων ἀπέφηνεν ἀρχὰς, Θεὸν καὶ ὕλην, ὃν καὶ νοῦν προσαγορέυει καὶ ἄιτιον· ἶναι δὲ τὴν ὕλην ἀσχημάτιστον καὶ ἄπειρον, ἐξ ἧς γίνεσθαι τὰ συγκρίματα, ἀτάκτως δὲ ποτε αὐτὴν κινουμένην ὑπὸ τοῦ Θεοῦ φησὶν εἰς ἕνα συναχθῆναι τόπον, τάξιν ἀταξίας κρείττονα ἡγεισαμένου. *Duo omnino exposuit Plato rerum principia, DEum atque materiam, illum et mentem et caussam appellat. Esse autem materiam informem et infinitam, ex qua concretiones fiant, ea cum aliquando temere et inordinate moveretur, a DEO ait in locum unum coactam, quod ordinem temeritati praestare censuerit.* Vbi ea diligenter observanda sunt, quae paragrapho sequenti de tertio Platonis principio, idea dicentur, ut mentem Diogenis assequamur. Verum conferendus cum hoc loco Laërtii PLVTARCHVS *problemat. Sympos. II.* it. *de Isid. et Osir.* ubi, *ne-*

cesse, ait, *in natura boni, ita etiam mali ortum peculiarem suumque principium extare.* Add. quem aliquoties jam laudavimus, WINDETVS *l. c. p.* 60. Cum itaque *Plato excogitata materia*, tanquam causa mali, huicque positiva essentia adscripta, *multis magnisque Philosophos liberaverit* circa quæstionem de origine mali *difficultatibus*, ut ait PLVTARCHVS *l. c.* inde nullo modo intelligi potest, quomodo ἡ ἀρχὴ τῶν ἀρίστων, ἰδέα τȣ̃ ἀγαθȣ̃, summum et perfectissimum ens atque bonum, et quæ alia sunt ejus apud Platonem nomina, sibi adversum principium, naturæ suæ e diametro contrarium, quod necessaria mali causa, iners, omnique libertate prorsus carens, et, quod rem fere conficit, ipsum quoque infinitum est (conf. CICERO *Acad. Qq.* apud MENAGIVM *ad l. c. Laërtii*) potuerit producere; saltem vix mente concipi potest, Platonem oblitum fuisse notissimi canonis, toties in dialogis suis in-

inculcati : Effectum testari de causa, neque ei esse contrarium. Hæc cum ita se habeant, Atheismi tamen nondum prorsus accusandus videtur Plato, qui indirecte quidem hocce principio duplici incautus viam ad eam munivit, consequentes tamen ex eo conclusiones nunquam admisit, quin inter Philosophos Græcos, quantum quidem poterat, optime de Deo docuit, observante IAC. THOMASIO *de exust. mundi Stoica Diss. II.* §. 25. *p.* 29. conf. Cl. IO. IAC. SYRBIVS *Philos. prima P. II. c. III.* §. 4. *p.* 406. seq. ubi egregia multa in hanc rem observantur. Vnde ei nihil minus quam atheismum cordi fuisse, facile perspicitur, licet haud raro inter reliquos duplicis principii assertores numeretur.

(*p*) Vtuntur hoc simili Plato et ejus sectatores. ATTICVS apud EVSEBIVM *de præparat. Evangel. l. XV.*

c. 13. *p.* 815. Edit. Colon. Νοήσας Πλάτων, Θεὸν ὡς τῶν ἁπάντων πατέρα, καὶ δημιουργὸν, καὶ δεσπότην, καὶ κηδεμόνα, καὶ γνωρίζων ἐκ τῶν ἔργων, τὸν τεχνίτην πρότερον νοῆσαι τοῦτο, ὃ μέλλει δημιουργήσειν, εἶθ᾽ οὕτω τῷ νοηθέντι κατόπιν ἐπὶ τῶν πραγμάτων προσάγειν τὴν ὁμοιότητα, ταυτὰ δὴ τὰ τοῦ Θεοῦ νοήματα πρεσβύτερα τῶν πραγμάτων, τὰ τῶν γενομένων παραδείγματα, ἀσώματα, καὶ νοητὰ κατὰ τὰ αὐτὰ, καὶ ὡσαύτως ἔχοντα ἀεὶ, καὶ μάλιστα μὲν πρώτως αὐτὰ ὄντα, παραίτια δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις τοῦ εἶναι τοιαῦτα ἕκαστα διάπερ ἐστι κατὰ τὴν πρὸς αὐτὰ ὁμοιότητα, συνιδὼν ὁ Πλάτων, κ. τ. λ. *Cum intelligeret Plato, DEum tanquam omnium parentem et opificem, ac Dominum et curatorem, cognosceretque ex operibus, artificem prius illud, quod fabricaturus est, animo percipere, tum re ita percepta similitudinem istam ad res applicare; has ipsas DEI notiones rebus antiquiores, quæ sunt eorum exemplaria, quæ fiunt, corporis expertia, et intelligibilia, eodem modo semper ac similiter se habentia, quæ maxime*

xime quidem primo ipsa sunt, caeteris autem ex parte causa sunt, ut ejusmodi sint; qualia sunt, pro similitudine quam cum ipsis habent; haec cum Plato perspexisset etc. Plura loca congessit DIONYS. PETAVIUS *Dogm. theolog. T. I. l. IV. c. 9. p.* 286. Edit. Paris. add. ipse PLATO in *Parmenide Opp. T. III. p.* 132.

§. V.

Ex iis, quae hactenus adducta et probata sunt, luculenter apparet, Platonem ideas ex intellectu summi opificis quidem derivasse, easque pro principio rerum sensibilium, licet minus principali (*p*) venditasse: separasse tamen ab intellectu divino, propriamque iis et per se subsistentem essentiam adscripsisse, et ex iis mundum intelligibilem et idealem, sive officinam exemplarium composuisse. Ita ut non minus ab intellectu divino, quam a rebus sensibilibus, quarum exemplaria sunt, discernantur, hoc tantum discri-

mine, ut hæ per illas, vel juxta illas sint, quod sunt, ille vero ideis per se subsistentem et immutabilem essentiam et æternitatem ex se largiatur. (*r*) Vnde et hujus doctrinæ vanitas satis conspicitur, eosque (*s*) frustra esse cognoscitur, qui Platonem saniori modo expliciturі, ideas illum ab intellectu divino separasse negant.

(*q*) Diligenter hoc, ut paragrapho præcedente monuimus, notandum est, ne in enarrandis Platonis principiis hæsitemus. Tria enim, non duo principia Platonem asseruisse auctor est PLVTARCHVS *de placitis Philosoph. l. I. c.* 3. his verbis: Σωκράτης Σωφρονίσκȣ Ἀθηναῖος, καὶ Πλάτων Ἀρίστωνος Ἀθηναῖος, αἱ γὰρ αὐταὶ περὶ παντὸς ἑκατέρȣ δόξαι, τρεῖς ἀρχὰς, (λέγȣσι,) τὸν Θεὸν, τὴν ὕλην, τὴν ἰδέαν, *Socrates Sophronisci Atheniensis, Platoque Aristonis Atheniensis, eadem enim de universo utriusque sententia, principia tria posuerunt, DEum, materiam, ideam.* Quocum con-

consentit IVSTINVS MARTYR *Cohort. ad Græcos p. 7.* Edit. Morell. Τȣ̃ Πλάτωνος τρεῖς ἀρχὰς τȣ̃ παντὸς εἶναι λέγοντος, Θεὸν, καὶ ὕλην, καὶ εἶδος. Θεὸν μὲν, τὸν πάντων ποιητὴν, ὕλην δὲ τὴν ὑποκειμένην τῇ πρώτῃ τῶν γενομένων γενέσει, καὶ τὴν πρόφασιν αὐτῷ τῆς δημȣργίας παρέχȣσαν, εἶδος δὲ τὸ ἑκάςȣ τῶν γινομένων παράδειγμα. *Plato principia universi tria esse statuit, DEum, materiam et ideam. DEum quidem conditorem omnium, materiam autem primariæ rerum genitarum generationi subjacentem, et caussam occasionemque creationis DEO præbentem. Ideam porro creaturæ cujusque exemplar.* Addantur his AVCTOR *philosophum. Origenis c. XIX. p.* 108. referens: Πλάτων ἀρχὰς εἶναι (λέγει) τȣ̃ παντὸς Θεὸν, καὶ ὕλην καὶ παράδειγμα: *Totius Plato universi principia facit Deum et materiam et exemplar.* Quæ verba adducens MENAGIVS *ad Laërt. l. III.* f. 69. ὕλην, nescio quo casu prætermisit, nec ea vox in emendatissima Wetste-

nii editione expreſſa eſt, notante id jam Cl. WOLFIO *ad h. l.* CYRILLI *contra Julianum l. II.* APVLEII et aliorum de hac re loca collegit idem MENAGIVS *l. c.* Et hæc quidem ut ſua veritate perſtant, ita iis, quæ de duplici Platonis principio ſupra expoſuimus, prima ſpecie contradicere videntur, unde utramque hypotheſin conciliandi hisque difficultatibus ſe expediendi variam Viri eruditi inivęrunt viam. Plures enim vel fidem Diogenis Laërtii ea potiſſimum referentis ſubleſtam faciunt, ut THOMAS BVRNETIVS in *Archæolog. Philoſoph. c. XIII. p.* 440. Edit. Amſtel. vel codicum integritatem in dubium vocant, utrumque tamen perperam. MENAGIVS *l. c. p.* 163. duo principia Platonem ſtatuiſſe dici poſſe putat, ſi ideæ cum DEO confundantur, tria, ſi a DEO diſtinguantur, priorem tamen ſententiam Timæo Locro ſolummodo et Platonicis nonnullis, non ipſi Platoni tribuit. In contrariam

vero

vero partem ivit MERICVS CASAVBONVS *ad h. l.* qui putat, Platonem ideas in mente divina collocasse. Aliam viam, eamque menti Platonis maxime accommodatam ostendit IO. KVHNIVS in *observationibus ad l. c. Laërtii*, observans, ideas Platonem habere pro instrumentali tantum caussa proprie ad DEum referenda, prima vero principia duo tantum esse, DEum et materiam, sic ut ideae tanquam caussa minus principalis non numerentur. Quo certe sensu jam SENECA *Epist.* 65. dixit: *Exemplar non esse caussam, sed instrumentum caussae necessarium.* Quod si ex superioribus repetamus, materiam secundum Platonem DEO esse coaeternam et coaequalem, facile ratio constat, quomodo Plato duo et tria principia asserere et constituere potuerit. Duo scilicet, si de primis sibique oppositis sermo sit, tria vero, si ideae a DEO productae, et peculiari substantia gaudentes addantur. Quin, si rem recte aestimemus, et quaecunque adhu-

jus universi γένεσιν Plato requirebat, pro principiis habeamus, quatuor constituenda sunt. Addidit enim DEO, materiæ, et ideis animam mundi; unde CYRILL. ALEXANDRIN. *l. II. contra Julianum* προσεπάγει καὶ τετάρτην, ἣν δὴ καὶ ὅλου ψυχὴν ὀνομάζει. *Addidit et quartum* (principium) *quod universi animam nominat*. Conf. TIMAEVS LOCRVS *de anima mundi Opp. Plat. T. III. p.* 93. seqq. Immo quinti meminit SENECA *ep.* 65. Ex quo manifestum est, mox principia quælibet, mox prima et independentia intelligi.

(*r*) Hinc intellectus divinus a Platone λογισμὸς τȣ̃ Θεȣ̃ ἀεὶ ὄντως, *revera semper ratiocinatio DEI* in *Timæo*, et in *Epinomide T. II. Opp. p.* 986. Λόγος ὁ πάντων θειότατος, ὃς ἔταξε τὸν κόσμον, *ratio omnium divinissima mundum perficiens* vocatur, quia idea, ex intellectu divino producta, ratio est, secundum quam summus opifex exornavit materiam. Qui Platoni λόγος et λογισμὸς est, cum λόγῳ Iohanneo non confundendus,

dus, recentioribus Platonicis νȣ̃ς ſive mens vocatur, ideas omnes continens: in ea enim erant ſententia, ideas a mente divina non eſſe ſeparatas, adeoque rationem divinam, quæ mente continetur, conditorem opificemque univerſi fecerunt, quo vero jure, in ſequentibus diſputabitur. vid. PLOTINVS *Ennead. V. l. I. c.* 3. 4. Præivit tamen in eo nomine adhibendo ipſe Plato. Teſte enim LAERTIO *l. III. ſegm.* 69. Θεὸν νȣ̃ν προσαγορεύει καὶ ἄιτιον, *DEum mentem nominat et cauſam.* Cujus exemplum videri poteſt in *Phædone T. I. Opp. p.* 97. et in *Philebo T. II. p.* 30. ubi notanter: Ἀιτία ȣ̓ φαύλη κοσμȣ̃σάτε καὶ συντάττȣσα ἐνιαυτȣ́ςτε καὶ ὥρας καὶ μῆνας, σοφία καὶ νȣ̃ς λεγομένη δικαιότατ᾽ ἄν. *Eſt cauſa minime levis, quæ annos et tempora et menſes ordinat, conſtituit, regit, ſapientia videlicet et mens juſtiſſimo nomine appellata.* Et paulo poſt. Ο᾽υκ ȣ̃ν ἐν μὲν τȣ̃ Διὸς, ἐρεῖς, φύσει βασιλικὴν μὲν ψυχὴν, βασιλικὸν δὲ νοῦν ἐγγίγνεσθαι. *Ita*

que

que in Jovis quidem natura non dixeris regiam animam, regiam vero mentem inesse, et quidem διὰ τὴν τῆς αἰτίας δύναμιν, *propter causæ vim et potestatem.*

(f) Longum est eorum agmen, quibus omnibus præivit PLVTARCHVS, qui de *Placitis Philosophor. l. I. c.* 10. ita: Σωκράτης καὶ Πλάτων χωριστὰς τῆς ὕλης ὀσίας τὰς ἰδέας ὑπολαμβάνει, ἐν τοῖς νοήμασι καὶ ἐν ταῖς φαντασίαις τοῦ Θεοῦ, τουτέστι, τοῦ νοῦ ὑφεστώσας. *Socrates et Plato ideas sejunctas a materia substantias existimant, in sensis visisque DEI*, (in intellectu divino) *id est, mentis substantes.* Cui paria habet *c.* 3. Ἐστὶ δὲ ὁ Θεὸς ὁ νοῦς, ὕλη δὲ τὸ ὑποκείμενον πρῶτον γενέσει καὶ φθορᾷ, ἰδέα δὲ ὀσία ἀσώματος ἐν τοῖς νοήμασι καὶ ταῖς φαντασίαις τοῦ Θεοῦ· ὁ δὲ Θεὸς νοῦς ἐστι τοῦ Κόσμου. *Est autem DEus mens; materia vero, quod primum generationi subjacet et corruptioni; idea autem substantia sine corpore in divinis sensis et cogitationibus. DEus autem animus mundi est.*

est. Paria alibi apud eum occurrunt. Hunc secuti sunt plures alii. Ita enim SENECA *Ep. 65. His quintam Plato adjicit causam, exemplar, quam ipse ideam vocat: Hoc est enim, ad quod respiciens artifex, id quod destinabat effecit. Nihil autem ad rem pertinet, utrum foris habeat exemplar, ad quod referat oculos, an intus, quod sibi ipse concepit et posuit. Hæc exemplaria rerum omnium DEus intra se habet, numerosque universorum quæ agenda sunt, et modos mente complexus est, plenus his figuris est, quas Plato ideas appellat immortales, infatigabiles.* Addendus est AVGVSTINVS *de octog. tribus quæstion. T. III. Opp. p.* 389. Edit. Basil. & AVCTOR *Philosoph. Orig. c. XIX. p.* 110. dicens: Τὸ παράδειγμα διάνοιαν τȣ̃ Θεȣ̃ εἶναι, *Exemplar sive ideam* (ex mente Platonis) *DEI cogitationem esse.* His accedunt tum Platonici recentiores, tum alii quoque haud proletariæ eruditionis viri. Illos nominatos vide apud THOM. GALE. in *notis ad Iamblichum de my-*

steriis

ſteriis Aegyptiorum p. 299. ex quibus præ aliis operoſus in hac re eſt PLOTINVS *Ennead. V. l. IX. c.* 5. ſeqq. *p.* 558. ſeqq. ubi inter alia : Ἢ ἑτέρωθι ὄντα νοήσει, ἢ ἐν αὐτῷ ὡς αὐτὸν ὄντα· ἑτέρωθι μὲν οὖν ἀδύνατον, *Aut illa* (mens) *alibi exiſtentia intelligit, aut in ſe ipſo, tanquam exiſtentia ipſum. Alibi quidem, impoſſibile eſt.* Et *c. VI. p.* 560. Νοῦς μὲν δὴ ἔσω τὰ ὄντα καὶ πάντα ἐν αὐτῷ ὡς ἐν τόπῳ ἔχων, ἀλλ᾽ ὡς αὐτὸν ἔχων καὶ ἓν αὐτοῖς. πάντα δὲ ὁμοῦ ἐκεῖ, καὶ οὐδὲ ἧττον διακεκριμένα· ἐπεὶ καὶ ψυχὴ ὁμοῦ ἔχουσα πολλὰς ἐπιστήμας ἐν ἑαυτῇ οὐδὲν ἔχει συγκεχυμένον. *Intellectus igitur ipſa eſſentia ſit, et omnia in ſe, non ut in loco, ſed tanquam ſe ipſum habens, unumque cum ipſis exiſtens. Sunt autem omnia illic ſimul, ſed nihilominus inter ſe diſtinguuntur; quoniam et anima, quæ multas ſimul habet in ſe ſcientias, nihil in ſe tamen habet confuſum*, etc. Paria occurrunt c. VIII. conſulendaque ſunt, quæ ad h. l. commentatus eſt Ficinus. Eandem ſententiam tuentur Scholaſtici qui-

quidam, Auguſtini ſequaces, quos adducit in medium PAVLVS SLEVOGTIVS in *differt. de univerſali ante rem* §. 10. *Diſputat. Academic. p.* 183. Quin et multi alii haud vulgaris eruditionis Viri in ea ſunt ſententia, Platonem ideas ab intellectu divino non ſeparaſſe. Inter quos admodum id egit AVGVSTIN. STEVCHVS Eugubinus, *de perenni Philoſophia*, cujus verba, licet aliquantum prolixa, referre non abs re erit, cum non tantum quædam rem valde illuſtrantia contineant, ſed et liber minus frequenter occurrere ſoleat. Ita vero, poſtquam Plutarchi locum, quem ſupra poſuimus, recitaverat, *l. c. l. II. c.* 12. *p.* 28. Edit. Gryph. *Is*, ait, *locus et hæc declaratio Plutarchi admirabilis et obſervanda, ut ſcias, et quid de ideis ſenſerit Plato, et quo in loco habere deceat ideas. Sunt videlicet, ſicut recte et ſapienter definivit Dionyſius,* προορίσματα καὶ θελήματα τȣ̃ Θεȣ̃, *prædefinitiones et voluntates DEI. Idque etiam perhibet Pſellus priores Chaldæos ſenſiſſe, cujus teſtimo-*

stimonio recognosces ea, quae superiores attulerant, Chaldaeorum esse, sicut item erant Trismegisti: Ἀρχὴν τῶν πάντων δοξάζουσιν, καὶ ἓν αὐτὴν καὶ ἀγαθὸν ἀπουμνοῦσι· Ἰδέας δὲ νομίζουσι, νῦν μὲν τὰς τοῦ Πατρὸς ἐννοίας, νῦν δὲ τοὺς καθόλου λόγους φυσικοὺς καὶ ψυχικοὺς καὶ νοητοὺς, νῦν δὲ τὰς ἐξῃρημένας τῶν ὄντων ὑπάρξεις. *Unum, ait, principium omnium opinantur Chaldaei, ipsam unitatem et bonum laudando vocantes. Ideas sentiunt modo patris cogitationes, modo rationes universales naturae, mentis, animae, modo separatas a rebus subsistentias - - - Ultimas ideas sicut Plato et Aristoteles et Dionysius rejecerunt, delectum in Chaldaicis dogmatibus habentes, sic prorsus rejiciendas cuique perspicuum. Ergo pro errore et fabula commentoque habendum dogma quorundam Platonicorum,* τὰ νοητὰ, *id est, ideas, quae Plato in mente opificis statuit, esse quandam divinissimam primamque Deorum gentem.* Addantur GERARD. IO. VOSSIVS *de sectis Philosoph. c. XII. §. 11. T. III. Opp. p.* 301. qui tamen contrariam prius

prius sententiam foverat, PAVLVS SLEVOGT. *l. c. p.* 183. seqq. COEL. RHODIGIN. *Lection. Antiq. l. XVI. c.* 17. FERNELIVS *de abditis rerum caussis l. I. c.* 10. IO. SERRANVS *ad Timaeum Platon. T. III. Opp. p.* 28. MERIC. CASAVBONVS *ad Diog. Laërt. l. III. segm.* 69. *p.* 207. IO. CHRISTOPH. WOLFIVS *not. ad Origenis philosophum. p.* 110. IOACH. KVHNIVS *not. ad Laërtii l. c.* SAM. WERENFELS *diss. de Logomach. erudit. c. VIII. Opp. p.* 543. RAPIN. *compar. de Plat. & d'Aristote Opp. T. I.* GOTTL. MICH. HANSCH. *de Enthusiasmo Platon. p.* 128. DAN. GEORG. MORHOF. *Polyhist. liter. T. II. l. II. P. I. c.* 11. §. 2. *p.* 206. et qui sunt alii. Neque tamen desunt, qui in contrariam pedibus iverunt sententiam, hisque opponi possunt, si quidem auctoritate res conficienda esset. Et hic quidem suo jure antesignanus est Aristoteles, qui non Platonis solum fuit σύγχρονος, sed et ipsum audivit, et doctrinarum praecepta ab eo hausit. Is vero non uno loco, Platonem ideas non solum a materia, sed omni-

no et abſolute, adeoque etiam ab intellectu divino ſeparaſſe, auctor eſt. Cujus teſtimonia perquam luculenta aliquot ad paragraphum ſecundum jam adduximus, quibus addenda ſunt, quæ *Poſter. Analyt. l. I. c.* 19. *Ethic. l. I. c.* 4. *Metaphyſ. l. VIII. c.* 14. habet; quo poſtremo loco Φανερὸν, inquit, ἐξ αὐτῶν τούτων τὸ συμβαῖνον, καὶ τοῖς τὰς ἰδέας λέγουσι οὐσίας τε καὶ χωριστὰς εἶναι. *Ex iis autem ipſis id etiam patet, quod accidit illis, qui ideas pariter ſubſtantias, et ſeparatas eſſe dicunt.* Quam magiſtri ſententiam PHILOPONVS *adverſus Proclum de mundi æternitate* prolixa diſputatione tuetur, licet eum poſtea ad vomitum Platonicum reverſum eſſe aſſerat IO. BAPTISTA CRISPVS *de Platone caute legendo diſtr. II. l. VI. p.* 276. ſuccinitque AMMONIVS his verbis: Οὐδὲ αὐτὰ καθ' ἑαυτὰ χωρίζεσθαι δύναται, διὰ τὰ πρὸ τῶν πολλῶν εἴδη ὑποτίθεται ὁ Πλάτων. *Non poſſunt ſeparata per ſe ſubſiſtere, quales eas formas ſive ideas Plato ponit.* Plures Ariſtotelis diſcipulos, Scholaſticis ſupra nomina-

on I

minatis opponendos nominat PAVL. SLEVOGT. *l. c.* §. 7. *p.* 180. conf. MENAG. *ad Laërt. l. III. segm.* 77. *p.* 164. et TERTVLLIANVS *de anima* apud Cl. WOLFIVM *ad Origenis philosophum. p.* 110. Ex recentioribus imprimis nominandi Viri in antiquarum doctrinarum cognitione omnium judicio versatissimi, DIONYS. PETAVIVS *Dogmat. Theol. T. I. l. IV. c.* 9. *p.* 282. seqq. AEGID. MENAGIVS *ad Laërt. l. III. segm.* 69. *p.* 163. IO. CLERICVS in *Arte Crit. P. II. Sect. II. c.* 5. §. 4. seqq. *p.* 421. seqq. Ed. Amstelod. et *not. ad Orac. Zoroastris in Hist. Philos. Orient. Stanleji p.* 359. Ed. Amst. ubi tamen aliquantisper hæret; IAC. THOMASIVS in *Orat. XIII. p.* 290. aliique. Nos salva tantorum Virorum auctoritate et eruditione posteriorem tanquam probabiliorem sententiam amplectimur, his rationibus ducti. I. Plato ideis non æternitatem tantum et immutabilitatem adscribit, id quod cum priori sententia facile con-

ciliari posset, verum etiam ἐσίαν αὐτὴν καθ' αὐτὴν, substantiam ipsam ex se ipsa, sive per se ipsam, in *Parmenide T. III. Opp. p.* 135. et pluribus locis ita mentem suam expressit, ut ex locis larga manu supra datis patescit, et facile ex aliis prolixius probari posset, si modo ulla id postularet necessitas. Cum itaque ideas peculiares substantias esse voluerit, quo fine eas κατ' ἐξοχὴν ὄντα, solaque intellectus vera objecta, et peculiares rerum formas et exemplaria, per quas cognoscimus id, quod res sunt, vocavit, vid. *Timaeus Opp. T. III. p.* 94. necessario sequitur, quod ab intellectu divino eas separaverit; alias omnes simul unam tantum et ipsissimam DEI haberent ἐσίαν et substantiam, essentque intellectus divinus sive intelligentia ipsa in DEO residens, neque quaelibet suam ex se et per se ipsam haberent substantiam; quippe quod in DEO compositionem efficeret. Vnde apposite IAC. THOMASIVS *de ideis Platonicis Orat. XIII. p.* 299. *In DEO ideo*

metuit

metuit ideas multiformes collocare Plato, quod ea multitudinem quandam præ se ferant, DEus autem undiquaque purus et simplex sit, nihil duplex, nihil coagmentatum habens. Nihil jam de iis dicimus, quæ Plato pro idearum existentia ex necessitate scientiæ urserat, supra notata, hæc enim iis, quæ dicta sunt, sine præjudicio expensis facile adplicari poterunt. II. Nisi singulares et separatas substantias Plato per ideas intellexisset, nulla sane ratio fuisset, cur eum de ideis disserentem, et mensalitatem atque cyathitatem nominantem rideret Diogenes Sinopensis, apud LAERTIVM *l. III. segm.* 53. III. Aristotelis testimonium tam levis auctoritatis haud est, ac plerique existimant. Fuit enim diuturnus ejus discipulus, et decimo septimo jam ætatis anno ei adhæsit, vid. LAERT. *l. V. segm.* 6. vigesimoque demum disciplinæ anno in doctrina de ideis magistro contradixit, notante ORIGENE *contra Celsum l. II.* apud MENAGIVM *ad l. c. Laërtii p.* 189.

189. adeoque mentem Præceptoris ſatis clare percepit. Vbi ſane infirma videtur exceptio, Ariſtotelem gloriæ ſtudio, et ut Præceptoris famam obſcuraret, monſtrum hoc Platoni affinxiſſe. Nam ut id nondum probatum dederunt hujus ſententiæ patroni, nec Platonis querelæ de Ariſtotele ad ejusmodi petulantiam et injurias trahi poſſunt, ita vero non videtur ſimile, Ariſtotelem ejusmodi τερετίσματα, ut ipſe vocat, inanes nugas fingere, Platonique ſupponere potuiſſe, quin et ipſe Plato et ejus diſcipuli protinus Ariſtotelem impietatis, falſitatis et calumniarum conviciſſent, rectamque magiſtri mentem vindicaſſent; cum præſertim gratia et auctoritate plurimum tum apud Athenienſes valerent Chabrias et Timotheus, duces eorum, Platonis cognati, et ſatis validi ad tuendum eum contra calumnias diſcipuli patroni, ut notat AVCTOR *Vitæ ejus*. Quod ut factum eſſe nuſquam traditur, nec contraria ſententia ante Plutarchum

aucto-

auctorem habet, ita qua ratione fides Aristotelis in dubium vocari possit, non perspicimus. Neque dissensio a magistro gloriæ mox imputanda studio, sed pro Aristotele magis urgenda, qui Philosophica usus libertate ea secutus est, quæ ipsi videbantur veritati maxime consentanea. Et id ipsum a Platone didicit, cui hæc mens fuit; ὅτι μᾶλλον δεῖ τῆς ἀληθείας φροντίζειν, ἤπερ ἄλλε τινος, *veritatis magis habendam esse rationem, quam alterius cujusdam*; quo sensu dicere solebat: φίλος μὲν Σωκράτης, ἀλλὰ φιλτάτη ἡ ἀλήθεια, et, Σωκράτες μὲν ἐπ' ὀλίγον φροντιςέον τῆς δὲ ἀληθέιας ἐπὶ πολὺ, *Amicus Socrates, magis tamen amica veritas*, et, *Socrates quidem quid dixerit, parum solliciti debemus esse, multum tamen de veritate*, quæ dicta vere philosophica refert AVCTOR *Vita Aristotelis* sive Ammonius sit, sive Philoponus, sive alius. IV. Plutarchi testimonium tanti non est, ut Aristoteles ideo falsitatis et calumniarum sit

accuſandus. Aliquot enim ſeculorum intervallo a Platone ipſo remotus ſine dubio ita hypotheſin iſtam retulit, ut a ſui temporis Platonicis, magiſtrum emendantibus, et Peripateticorum objectionibus ita ſenſim ſubtrahentibus, didicerat. Certe, dum ideam eodem loco *de placitis Philoſ. l. I. c.* 10. definit, quod ſit ȣ̓σία σώματος, αὐτὴ μὲν μὴ ὑφεςῶσα καθ' αὑτὴν, *eſſentia corporis*, *ipſa quidem per ſe non ſubſiſtens*; contrarius eſt Platoni, cui, ut aliquoties monuimus, idea eſt ȣ̓σία αὐτὴ καθ' αὑτήν. Vnde argumentum, quod Plutarchi auctoritate nititur, firmo pede vix conſiſtere poteſt. Quod vero ad Senecam attinet, facile attente legenti patebit, eum Platonis dogmata illo loco ad mentem ſuam admodum inflexiſſe, nec accurate ſatis ea expoſuiſſe. V. Recentiores Platonici cur in teſtimonium adduci non poſſint, ſupra jam obſervatum eſt. Incaute vero ad Triſmegiſtum, Chaldæos, Dionyſium, aliosque libros ſuppoſititios et ad anti-

antiquitatis speciem confictos provocat, iisque tanquam egregio fundamento innititur Steuchus, cui solenne est, omnia obtorto collo ad conciliandas cum Scriptura sacra et religione Christiana gentilium hypotheses rapere, qua ex causa non immerito, tacito quidem nomine vapulat IO. BAPT. CRISPO *de Platone caute legendo Distr. I. l. II. p.* 36. Conf. IAC. THOMASIVS *de exust. mundi Stoica p.* 29. VI. Neque Platonem absolvet rei absurditas, quæ a tam perspicaci viro expectari non debeat, dum ἀσύμφονα multa ex hac sententia consequuntur. Vti enim haud facile absurda sententia auctori debet tribui, ita tamen in contrarium quoque currendum non est, nec auctor humanus ab omni contradictionis vel absurditatis labe absolvendus: Alias duplicis principii coæqualis absurditas, cujus supra Plato convictus est, et alia plurima, quæ in imaginaria ejus Reipublicæ constitutione occurrunt, absurda et ἀσύςατα eodem hoc argumen-

to ab eo removenda essent. VII. Quod si vero ea, quæ hactenus allata sunt, convincere contrariæ parti addictos non apta sunt, hoc saltem fateantur, necesse est, *nec ipsum Platonem*, *nec ejus discipulos affectatæ* (addo inextricabilis) *obscuritatis in rebus magni momenti excusari posse*; quæ verba sunt acutissimi CLERICI *l. c. p.* 424. Plura addenda non sunt, cum, nisi toti fallimur, res sua luce radiet. Est tamen, quod hoc loco accurate monere, maxime ex re nostra est. Scilicet dudum isthæc scripseramus, nec, quæ pro Platone dicuntur, ejusmodi deprehenderamus, ut assensum extorqueant, cum Viri cujusdam eruditissimi benevola communicatione ad manus nostras pervenirent COMITIS SCIPIONIS AGNELLI *disceptationes de ideis in tres libros distributæ*, et *Venetiis* 1615. quarta forma, quam vocant, impressæ. Quem librum cum antea oculis usurpare non licuisset, vehemens tamen consulendi desiderium fecit DAN. GEORG. MORHOFIVS, qui eum tanquam fortissimum Platonis

nis propugnatorem in doctrina de ideis separatim non existentibus extollit laudibus. Ita enim *Polyhist. liter. T. II. l. I. c. 7. p.* 41. *Totam hanc doctrinam* (de ideis) *adversus Aristotelem pro Platone libro doctissimo propugnavit Scipio Agnellus. Nihil est omissum, quod ad hanc doctrinam pertinet, ab illo; Liber rarior est, et in paucorum manibus Venetiis in* 4. *Anno* 1615. *editus. Notari ille unice pro hoc argumento potest, ac vehementer laudatur a multis istius temporis scriptoribus.* Hinc avide in ejus lectionem incurrimus, quamprimum ejus copia facta esset, sperantes fore, ut vel dictis majorem inde lucem accendere possimus, vel sententiam, quam hucusque probatam dedimus, forti argumentorum robore inveniamus refutatam. Sed vehementer hæc spes, nisi egregie fallimur, nos destituit, postquam Agnellum nihil expectatione dignum protulisse, et, quod ajunt, corvos delusisse hiantes deprehendimus. Cujus rei fidem ut faciamus,

mus, orandus nobis eſt benevolus Le-ctor, ut pauca ex eo libello, duodeviginti plagulas non excedente, liceat excerpere, et abjecto omni antiquitatis præjudicio, et maleſana doctrinarum male cohærentium conciliatione libere, ſine tamen ullius præjudicio expendere. In præfatione ſtatim, quam editor Alexander Andreaſius præmiſit, poſt ſuperba auctoris elogia, ita lectorem alloquitur, ut in quam claſſem auctor collocandus ſit, non ſit obſcurum. *Tuum*, inquit enim, *nunc eſt, judicare, amice lector, quam arduum ſit Platonicam Philoſophiam Peripateticæ conjungere, quod profecto nemo præſtitit in hac re, in aliis vero, aut nulli adhuc præſtiterunt, aut in pauciſſimis, ut Picus, merito cognomine Phœnix*, etc. *An vero hæc omnia præſtiterit Author diſceptationum de ideis, tuum pariter eſt judicare.* Vnde inter conciliatores Platonicæ et Peripateticæ Philoſophiæ merito referendus eſt: Morhofio vero minus accurate dicitur Agnellus Platonis rem contra Ariſto-

telem

telem egisse, cum potius communem sui seculi Philosophiam cum Platonis dogmatibus conciliare conatus fuerit. Vnde ipse auctor in præfatione propositum ita fatetur: *Priscam Mercurii, Zoroastri, et aliorum perobscuram Theologiam sub examen revocabimus, Aristotelis et Platonis; D. Thomæ et Scoti bella sedabimus, eorum sententias et congrue et profunde pro viribus explicantes: ita ut, quicunque sapientissimorum cognomentum adepti sunt, unanimi consensu divinas ideas constituentes in unam veritatem convenire videamus.* In tres vero libros totius argumenti tractationem divisit Agnellus, ubi in primo de inventoribus idearum, in secundo, ut in se considerantur, in tertio vero, quorum sint, et ad quid conferant ideæ, agit. Splendida certe, si titulis credis, omnia, iisque, quæ hucusque operose adducta sunt, maxime inservientia, unde merito porro audienda sunt. Initium vero doctrinæ de ideis derivat ex sacris literis, quas scilicet *per sacra propheta-*

phetarum eloquia ab antiquissimis usque temporibus divina bonitas patefecit, ut in ipso operis limine auctor loquitur. Quam thesin deinde probat ex illo Geneseos. *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Homo vero, ut judicat auctor, ad imaginem DEI factus esse non potest, nisi DEus illius sit exemplar. Quæ ita postea explicat, ut homo dicatur factus ad umbratilem similitudinem, quia Hebraice legatur vox צֶלֶם (מצל scribendum erat) quæ a radice צל umbra oriatur. Qua ex probatione, ut nil dicam de derivatione vocis Grammatica, cuivis facile palpanda, sequeretur, non DEum hominis esse ideam, quod probare contendit auctor, sed hominem esse ideam, sive umbratilem similitudinem DEI; mox tamen Philonem reprehendit, asserentem, hominem ad imaginem DEI factum, non esse sensibilem hominem, sed intelligibilem, cum tamen homo intellectualis æternus et ipse DEus sit. Sumit enim id, quod

quod prius probandum erat, tanquam certum, ideam et intellectum divinum esse unum idemque. Eandem thesin ex Ps. CXXXVIII. 15. CXLVI. 4. et ex Evang. S. Ioannis c. I. 4. probare satagit; quibus ex locis quam feliciter idearum in Deo existentia, et, quod maxime sibi probandum sumserat auctor, idearum Platonicarum origo ex sacris literis exsculpi possit, Lectori examinandum relinquimus. Secundo capite vero *veterum Theologorum, Mercurii, Zoroastri, Orphei, Pythagoræ et Empedoclis dogmata explicantur*, ut habet inscriptio. Hic vero ad Mercurii Pœmandrum, Asclepium, ad Jamblichum similesque, non notatis tamen, ut consuli queant, locis provocat, reliqua Chaldæorum Orpheique ex leviusculis Etymologiis probat, ubi inter reliqua en lepidam demonstrationem: Expositurus per Saturnum apud Orpheum regnum contemplationis intelligi, post alia addit: *Et quoniam contemplatio est imperturbatus status et quies, ideo Saturnus*

nus שַׁבָּת *vocatur, id est, quies, et ideo veri Sabbati dies nobis praescribitur, ut a civilibus actionibus abstinentes totis viribus contemplationi incumbamus, ad laudem et gloriam veri Sabbati, verique Saturni, DEI sapientissimi.* Quae quam apta sint, quam solida, quam concinna, alii dispiciant. Et eodem tramite in reliquis decurrit, ex vestigiis his facile dijudicandus. Tertio capite probandum suscipit: *Ethnicum hominem supernaturali lumine illustratum divinam Trinitatem cognoscere potuisse.* Id quod probat ex effato Sibyllino, a Virgilio ad Pollionis filium adplicato, notissimis scilicet versibus:

Ultima Cumaei venit jam Carminis aetas, etc.

Tum ex Serapidis oraculo:

Principio DEus est, etc.

Illoque Apollinis, responsa amplius edere recusantis:

Me puer Hebraeus divos, DEus ipse gubernans, etc.

Alia

Alia vero non affert. Quæ quam ficulnea et figmentorum plena ſint

vel pueris notum eſt, et qui nondum ære lavantur.

Videndus tamen ANTONIVS VAN DALEN *diſſert. I. de Oraculis gentilium p. m.* 37. ſeqq. et conferenda, quæ circa argumentum hoc prudentiſſime monuit IO. CLERICVS *Epiſt. Crit. VII. Tom. III. art. Crit. p.* 177. ſeqq. Quarto capite aſſerit, *divinum verbum divinitus veteres cognoviſſe*, ubi in primis ſtatim lineis ad Plotinum, eoque quaſi præſtantiores Arabes, imprimis ad Avicennam provocat. Cujus generis pleræque ejus probationes ſunt, quare ne moleſti ſimus, latius in iis excitandis non diſcurrimus, præſertim cum Zoroaſter, Mercurius Triſmegiſtus, Orpheus, Damaſcenus, Thomas, et his ſimiles, tanquam maxime idonei teſtes, utramque hic faciant paginam. Caput tamen ſeptimum hujus libri curatius nobis attendendum eſt, in eo enim demonſtrare contendit; *Platonem*

ideas per ſe ſubſiſtentes, ut impingit Ariſtoteles, nunquam excogitaſſe, at proprie ſolum divinas ideas; alias vero, non tamen per ſe ſubſiſtentes ſecundum umbram et imaginem. In quo negotio ita verſatur, ut confeſſus abſurditatem idearum ſeorſim et per ſe exiſtentium, tres ſibi formet objectiones ſolvendas. I. Platonem vocare ideas formas puras et ſeparatas, ſeparatas itaque a divina mente. II. Nonnullos Platonicos aſſerere, Platonem in concavo lunæ ideas poſuiſſe, non igitur in divina mente. III. Ex ſententia Platonis in Timæo ideas opinione percipi, non igitur eas in divina mente conſiſtere, quippe quæ non niſi perfectiſſima ſcientia percipi poſſit. Hæ ſunt phalanges illæ, quibuscum congreſſurus erat Agnellus. Antequam vero ad eas objectiones reſpondet, probat, Platonem ideas in mente divina ſubſiſtentes aſſeruiſſe, locis quibusdam ex Timæo petitis, et partem ſupra jam allatis, DEum ſcilicet æternum ſecutum exemplar; opificem ſummum, optimum

mum et pulcherrimum mundum existere voluisse, at sine dubio (sic infert auctor) exemplar mundi hujus esse mundum idealem, qui in divina mente refulget, et quæ sunt alia, et, addita tandem Ficini affirmatione, in hoc exsurgit epiphonema: *Crede Marsilio, qui sensit aliter, a veritate dissentit.* His præmissis ad primam objectionem respondet: Platonem vocare ideas separatas non a divina mente, sed a corporibus; ad secundam, se non meminisse loci illius apud Platonem, quod si tamen ita sit, per cavernam intelligi mundum, per lunam mentem idearum serie emicantem, per solem vero DEum ipsum; quibus gradibus fiat ascensus. Quam dein explicationem non ex verborum circumstantiis, quas se ignorare fassus erat, sed inde probat, quod veteres Philosophi ænigmaticam et metaphoricam methodum valde adamaverint. Ad tertiam tandem respondet, Platonem non asseruisse ideas divinas opinione intelligi, sed scientia, illudque de ideis tantum

umbratilibus, quos auctor ſenſibiles formas, quæ gignuntur et corrumpuntur, vocat, intellexiſſe, quæ fuſius deinde exponit. Et hæc ſunt fulcra ſententiæ Agnelli, hæc tela, quibus diſſentientium argumenta confodit. Quodſi ita argumentari, et petitione principii, allegoriarum machinis, mutatione ſtatus controverſiæ, hiſque ſimilibus rem conficere par eſt, facilis cuivis erit victoria. Sequenti capite rationes Ariſtotelis contra ideas Platonis refutat, quas, cum noſtras non fecerimus, non curamus, præſertim cum vela tandem contrahenda ſint, ne prorſus a via ſemel conſtituta aberremus. Hinc paucis indicamus, ſequentibus capitibus in eo eſſe Agnellum, ut demonſtret, idearum doctrinam ab Ariſtotelis Philoſophia tantopere non abeſſe, DEum enim eſſe ex ejus ſententia non ſolum finem, ſed et cauſam efficientem; non repugnare divinæ ſimplicitati ex Ariſtotelis ſententia numerum idearum, et quæ ſunt alia; quemadmo-

admodum et *l. II. c. X. p.* 88. feqq. Scotum et Thomam multo labore conciliare nititur. Id præ cæteris in hoc libro fecundo notandum eft, definire Agnellum ideam *c. IV. p.* 65. hunc in modum: *Idea eft forma fubftantifica, divinæ menti objecta, quam agens per imitationem exprimit, et intuetur, quatenus rerum omnium exemplar et originem. c. V. p.* 67. vero fatetur, *DEum unam effe fimpliciffimam effentiam, p.* 69. vero luculentius, *unam tantum actu habere DEum ideam, quæ illi eft propria, quæ neque oculis fubjacet, prout incorporea, formasque per fingula corpora exprimit. Quoniam autem divina effentia ejus fit fupereminentis perfectionis, ut omnem effendi modum plus quam æquipollenter contineat et repræfentet, ideo, licet actu fit una idea, attamen fecundum virtutem tot habere ideas, quot imitabilitates a creaturis objicitur.* (leg. objiciuntur.) Quæ fententia non quidem in fe prorfus incommoda, longiffime tamen a Platonis mente remota

 eft,

eſt, ſi ea, quæ dicta ſunt, ut debent, admittantur. Ignoſcet benevolus Lector, quod longius eo digreſſi ſumus, quo nos Morhofius, hic, ut ſæpius, αὐτοσχεδιάζων, et qui, ut conjicimus, librum vel non vidit, vel ſummis tantum labris deguſtavit, elogio ſplendido deduxerat; eo libentius moram nectentes, ne fucum nobis fieri patiamur, et libri raritas neſcio quos theſauros et ſequioris ſententiæ præſidia nobis perſuadeat. Jam in viam redimus, et ad reliqua progredimur.

§. VI.

Hucusque intellectus divini objectum ideas Plato fecit. Verſatur vero circa eas intellectus quoque humanus, ratione cujus ſcientificæ dici poſſunt. Quia enim rerum ſenſibilium eſſentialia ſunt exemplaria ſpeciesque, quin ſolæ entium verique nomine dignæ, (t) ideo eas primarium Sapientiæ objectum eſſe neceſſe eſt. Vnde Philoſophiam quoque circa eas maxime occupari

cupari Plato voluit. (*u*) Cum enim ex ejus ſententia, anima, quæ ex eſſentia divina emanavit, eoque idearum cognitione imbuta fuit, laberetur, materiæ corporisque vinculis conſtricta fuit, hodieque detinetur, et ita idearum illarum oblivione premitur. (*x*) Quæ mentis imperfectio ut pellatur, et ad priſtinum cognitionis gradum ducatur animus, Philoſophiæ munus eſt. Quoniam vero hunc finem in inſtanti contingere non licet, ideo varii gradus adhibendi ſunt (*y*), quibus aſſuefacta mens tandem ipſas ideas cognoſcat, et reminiſcendo propriam veramque rerum eſſentiam intuitiva cognitione percipiat.

(*t*) Hæc magno Pythagoreorum Platonicorumque conſenſu dicta ſunt. De prioribus vide, quæ erudite ex antiquitate collegit IO. SCHEFFERVS *de natura et conſtitut. Philoſophiæ Italicæ c. VIII. p. 56.* ſeqq. Eos vero

accurate fecuti funt Platonici, vid. GOTTL. MICH. HANSCH. *de Enthusiasmo Platon. Sect. VII. §. 35. p. 124.* feqq. Vnum alterumque, in re ex fuperioribus manifefta modo addimus. TRISMEGISTVS, vel quisquis fub hoc nomine latet Platonicus apud STOBAEVM *Serm. XI.* Τὸ ἀληθές ἐςι τὸ ἐξ αὐτȣ̃ μόνον τὴν σύςασιν ἔχον, καὶ μένον καθ' αὑτὸ, οἷόν ἐςι. *Verum eft, quod ex fe folo effentiam fuam habet, et per fe manet, quale eft.* Et iterum: Πάντα τὰ ἐπὶ τῆς γῆς ἀλήθεια μὲν οὐκ ἔςι, τῆς δὲ ἀληθείας μιμήματα· καὶ ȣ̓ πάντα, ὀλίγα δὲ ταυτὰ, ἄλλα δὲ ψεῦδος, καὶ πλάνος καὶ δόξαι Φαντασίας, καθάπερ εἰκόνες συνεςῶτα. *Vniverfa fuper terram non ipfa veritas funt, fed veritatis imitationes et umbræ, et ne hæc quidem omnia, fed perpauca. Cætera plane ipfum mendacium et error funt, et velut fimulachra quædam phantafiæ, opiniones.* Et LAERTIVS quoque diferte de Platone *l. III. fegm.* 9. 10. Σκεπτέον ὁ Πλάτων Φησὶν, αἰσθη-

αἰσθητὸν μὲν εἶναι τὸ μηδέποτε ἐν τῷ ποιῷ μηδὲ ποσῷ διαμένον, ἀλλ' ἀεὶ ῥέον καὶ μεταβάλλον. - - Ταῦτα δ' ἐστὶν ὧν ἀεὶ γένεσις, οὐσία δὲ μηδέποτε πέφυκε· νοητὸν δὲ, ἐξ οὗ μηδὲν ἀπογίνεται, μηδὲ προσγίνεται· τοῦτο δ' ἐστὶν ἡ τῶν ἀϊδίων φύσις, ἣν ὁμοίαν τε καὶ τὴν αὐτὴν ἀεὶ συμβέβηκεν εἶναι. *Confiderandum esse Plato asserit, sensibile esse, quod in qualitate aut quantitate nunquam persistat, sed diffluat semper atque immutetur. - - Porro ista sunt, quorum semper generatio est, nunquam vero substantia prodiit. Intelligibile vero, cui nihil vel accedit vel decedit. Hoc autem sempiternorum natura est, quam similem atque eandem esse semper contingit.* Verum videndus ipse PLATO, qui *l. V. de Rep. T. II. Opp. p.* 477. seqq. copiose et subtiliter de hac re disputat, ubi inter alia p. 479. circa finem libri hujus ait: Τοὺς αὐτὰ ἕκαστα θεωμένους καὶ ἀεὶ κατὰ τὰ αὐτὰ ὡσαύτως ὄντα γινώσκειν ἀλλ' οὐ δοξάζειν, *Eos, qui ipsa quæque contemplantur, semper eodem modo secundum eadem se habentia, cognoscere po-*

tius, quam opinari. Plura talia occurrunt hic non commemoranda, cum ex iis, quæ antea dicta ſunt, et ex allatis modo, aſſerto ſua conſtet veritas.

(*u*) Vrget hoc imprimis PLATO initio *l. VI. de Rep. T. II. Opp. p.* 484. ſeqq. ubi multis demonſtrare ſatagit, ſolidam cognitionem neminem habere poſſe, qui ejuſmodi idearum accuratam notitiam fundamenti loco non ſubſternat. Prolixiora ſunt, quæ hac de re habet, quam ut hic locum capiant, ex paucis reliqua dijudicari poterunt. Quærit enim ex Glaucone: Ἦ οὖν δοκοῦσι σοι τυφλῶν διαφέρειν οἱ τῷ ὄντι τοῦ ὄντος ἑκάστου ἐστερημένοι τῆς γνώσεως, καὶ μηδὲν ἐναργὲς ἐν τῇ ψυχῇ ἔχοντες παράδειγμα; *Videnturne tibi a cæcis differre ii, qui revera destituti ſunt ejus rei cognitione, quæ revera exiſtit, et nullam habent illius in animo informationem* (ſic clarius ac Serranus interpretatur Ficinus) *perſpicuum nullum in animo exemplar.* Et

Et paulo post *p.* 485. hanc dat Philosophi definitionem : Ὅτι μαθήματός γε ἀεὶ ἐρῶσιν, ὅσα ἂν αὐτοῖς δηλοῖ ἐκείνης τῆς ᾽οὐσίας τῆς ἀεὶ οὔσης, καὶ μὴ πλανωμένης ὑπὸ γενέσεως καὶ φθορᾶς, *Eos disciplinæ illius semper esse studiosos, cujus beneficio ejus rei natura, quæ semper est, neque generatione et corruptione errat, cognoscitur.* Et licet hic de Philosophia agere videatur, non de ipsa Sapientia, quam a Philosophia ita distinguit, in *Phædro T. III. Opp. p.* 278. ut dicat: Τὸ σοφὸν καλεῖν μέγα εἶναι, καὶ θεῷ μόνῳ πρέπειν, τὸ δὲ ἢ φιλόσοφον ἤτι τοιοῦτων, μᾶλλόν τε καὶ ἁρμόττοι καὶ ἐμμελεστέρως ἔχοι. *Sapientis cognomen magnum esse, solique DEO convenire; Philosophi vero, aut similis alicujus cognomen magis aptum commodumque*, qua in re imitatus est Pythagoram, proprie tamen hic de vera Sapientia, quæ finis est Philosophiæ, sermo est. Cujus rei auctorem habemus LAERTIVM *l. III. segm.* 63. qui, postquam monuerat, variis nominibus uti

μένη, καὶ ἑςιαθῆσα, δῦσα πάλιν ἐις τὸ ἔισω, τοῦ ȣ̓ρανοῦ οἴκαδε ἦλθεν. Animus *eam veram germanamque ſcientiam, quæ in eo eſt, quod vere eſt, et alia, quæ eodem modo, quæ vere ſunt, contemplatus, et quaſi epulis enutritus, ingreſſus rurſus in interiores cœli partes domum revertitur.* Similia vide apud TVLLIVM *l. V. de fin.* LACTANT. *l. V. c. I.* quæ loca adducit eruditiſſimus SCHEFFER. *de Philoſ. Ital. c. VIII. p.* 62. ſeqq. Splendide imprimis Stoicorum more SENECA *Præfat. l. I. Quæſt. natural. T. II. Opp. p.* 629. Edit. Gronov. *Surſum ingentia ſpatia ſunt, in quorum poſſeſſionem animus admittitur; at ita, ſi minimum ſecum ex corpore tulit, ſi ſordidum omne deterſit, et expeditus levisque ac contentus modico enituit. Cum illa tetigit, alitur, creſcit, ac veluti vinculis liberatus in ſua redit*, etc.

(*x*) Plura hic ſe cumulant, ſigillatim expendenda. I. Platonem animas ex divina eſſentia per emanationem quan-

quandam derivasse, ex dictis, et toto ejus Philosophiæ systemate patescit. Cum enim Plato cum omnibus Philosophis ex nihilo nihil fieri posse crederet, ut supra observavimus, materiæ vero, tanquam principio passivo, tantæ virtutis, proprii motus, et simplicissimæ naturæ substantiam, qualem animam esse animadvertit, ortum adscribere non posset, coactus fuit ex divina essentia eam, assumta ab aliis emanatione quadam, derivare. Hac origine supposita omnis jam causa manifesta est, cur Philosophiæ finem ὁμοίωσιν τοῦ Θεοῦ, reditum ad primum fontem etc. vocaverit. Verum in hac re communi errore fascinatos habuit antecessores vetustissimos Philosophos, quorum loca, ne extra oleas vagemur, collecta vide apud V. C. GOTTL. MICH. HANSCHIVM in *sched. de Enthusiasmo Platon. Sect. IV. c.* 14. *p.* 61. seqq. Platonis vero mentem vel ex uno loco disce. Ita enim disertissimus Philosophus *de legibus l. X. Tom. II.* Opp.

umbratilibus, quos auctor sensibiles formas, quæ gignuntur et corrumpuntur, vocat, intellexisse, quæ fusius deinde exponit. Et hæc sunt fulcra sententiæ Agnelli, hæc tela, quibus dissentientium argumenta confodit. Quodsi ita argumentari, et petitione principii, allegoriarum machinis, mutatione status controversiæ, hisque similibus rem conficere par est, facilis cuivis erit victoria. Sequenti capite rationes Aristotelis contra ideas Platonis refutat, quas, cum nostras non fecerimus, non curamus, præsertim cum vela tandem contrahenda sint, ne prorsus a via semel constituta aberremus. Hinc paucis indicamus, sequentibus capitibus in eo esse Agnellum, ut demonstret, idearum doctrinam ab Aristotelis Philosophia tantopere non abesse, DEum enim esse ex ejus sententia non solum finem, sed et causam efficientem; non repugnare divinæ simplicitati ex Aristotelis sententia numerum idearum, et quæ sunt alia; quemadmo-

admodum et *l. II. c. X. p.* 88. seqq. Scotum et Thomam multo labore conciliare nititur. Id præ cæteris in hoc libro secundo notandum est, definire Agnellum ideam *c. IV. p.* 65. hunc in modum : *Idea est forma substantifica, divinæ menti objecta, quam agens per imitationem exprimit, et intuetur, quatenus rerum omnium exemplar et originem. c. V. p.* 67. vero fatetur, *DEum unam esse simplicissimam essentiam, p.* 69. vero luculentius, *unam tantum actu habere DEum ideam, quæ illi est propria, quæ neque oculis subjacet, prout incorporea, formasque per singula corpora exprimit. Quoniam autem divina essentia ejus sit supereminentis perfectionis, ut omnem essendi modum plus quam æquipollenter contineat et repræsentet, ideo, licet actu sit una idea, attamen secundum virtutem tot habere ideas, quot imitabilitates a creaturis objicitur.* (leg. objiciuntur.) Quæ sententia non quidem in se prorsus incommoda, longissime tamen a Platonis mente remota

 est,

eſt, ſi ea, quæ dicta ſunt, ut debent, admittantur. Ignoſcet benevolus Lector, quod longius eo digreſſi ſumus, quo nos Morhofius, hic, ut ſæpius, αὐτοσχεδιάζων, et qui, ut conjicimus, librum vel non vidit, vel ſummis tantum labris deguſtavit, elogio ſplendido deduxerat; eo libentius moram nectentes, ne fucum nobis fieri patiamur, et libri raritas neſcio quos theſauros et ſequioris ſententiæ præſidia nobis perſuadeat. Jam in viam redimus, et ad reliqua progredimur.

§. VI.

Hucusque intellectus divini objectum ideas Plato fecit. Verſatur vero circa eas intellectus quoque humanus, ratione cujus ſcientificæ dici poſſunt. Quia enim rerum ſenſibilium eſſentialia ſunt exemplaria ſpeciesque, quin ſolæ entium verique nomine dignæ, (t) ideo eas primarium Sapientiæ objectum eſſe neceſſe eſt. Vnde Philoſophiam quoque circa eas maxime occupari

cupari Plato voluit. (*u*) Cum enim ex ejus ſententia, anima, quæ ex eſſentia divina emanavit, eoque idearum cognitione imbuta fuit, laberetur, materiæ corporisque vinculis conſtricta fuit, hodieque detinetur, et ita idearum illarum oblivione premitur. (*x*) Quæ mentis imperfectio ut pellatur, et ad priſtinum cognitionis gradum ducatur animus, Philoſophiæ munus eſt. Quoniam vero hunc finem in inſtanti contingere non licet, ideo varii gradus adhibendi ſunt (*y*), quibus aſſuefacta mens tandem ipſas ideas cognoſcat, et reminiſcendo propriam veramque rerum eſſentiam intuitiva cognitione percipiat.

(*t*) Hæc magno Pythagoreorum Platonicorumque conſenſu dicta ſunt. De prioribus vide, quæ erudite ex antiquitate collegit IO. SCHEFFERVS *de natura et conſtitut. Philoſophiæ Italicæ c. VIII. p. 56.* ſeqq. Eos vero

accurate fecuti funt Platonici, vid. GOTTL. MICH. HANSCH. *de Enthufiasmo Platon. Sect. VII. §. 35. p. 124.* feqq. Vnum alterumque, in re ex fuperioribus manifefta modo addimus. TRISMEGISTVS, vel quisquis fub hoc nomine latet Platonicus apud STOBAEVM *Serm. XI.* Τὸ ἀληθές ἐςι τὸ ἐξ αὐτȣ̃ μόνον τὴν σύςασιν ἔχον, καὶ μένον καθ' αὑτὸ, οἷόν ἐςι. *Verum eft, quod ex fe folo effentiam fuam habet, et per fe manet, quale eft.* Et iterum: Πάντα τὰ ἐπὶ τῆς γῆς ἀλήθεια μὲν οὐκ ἔςι, τῆς δὲ ἀληθείας μιμήματα· καὶ ȣ̓ πάντα, ὀλίγα δὲ ταυτὰ; ἄλλα δὲ ψεῦδος, καὶ πλάνος καὶ δόξαι φαντασίας, καθάπερ εἰκόνες συνεςῶτα. *Vniverfa fuper terram non ipfa veritas funt, fed veritatis imitationes et umbræ, et ne hæc quidem omnia, fed perpauca. Cætera plane ipfum mendacium et error funt, et velut fimulachra quædam phantafiæ, opiniones.* Et LAERTIVS quoque diferte de Platone *l. III. fegm.* 9. 10. Σκεπτέον ὁ Πλάτων φησὶν, αἰσθη-

αἰσθητὸν μὲν εἶναι τὸ μηδέποτε ἐν τῷ ποιῷ μηδὲ ποσῷ διαμένον, ἀλλ' ἀεὶ ῥέον καὶ μεταβάλλον. - - Ταῦτα δ' ἐστὶν ὧν ἀεὶ γένεσις, οὐσία δὲ μηδέποτε πέφυκε· νοητὸν δὲ, ἐξ οὗ μηδὲν ἀπογίνεται, μηδὲ προσγίνεται· τοῦτο δ' ἐστὶν ἡ τῶν ἀϊδίων φύσις, ἣν ὁμοίαν τε καὶ τὴν αὐτὴν ἀεὶ συμβέβηκεν εἶναι. *Considerandum esse Plato asserit, sensibile esse, quod in qualitate aut quantitate nunquam persistat, sed diffluat semper atque immutetur. - - Porro ista sunt, quorum semper generatio est, nunquam vero substantia prodiit. Intelligibile vero, cui nihil vel accedit vel decedit. Hoc autem sempiternorum natura est, quam similem atque eandem esse semper contingit.* Verum videndus ipse PLATO, qui *l. V. de Rep. T. II. Opp. p.* 477. seqq. copiose et subtiliter de hac re disputat, ubi inter alia p. 479. circa finem libri hujus ait: Τοὺς αὐτὰ ἕκαστα θεομένους καὶ ἀεὶ κατὰ τὰ αὐτὰ ὡσαύτως ὄντα γινώσκειν ἀλλ' οὐ δοξάζειν, *Eos, qui ipsa quæque contemplantur, semper eodem modo secundum eadem se habentia, cognoscere po-*

tius, quam opinari. Plura talia occurrunt hic non commemoranda, cum ex iis, quæ antea dicta sunt, et ex allatis modo, asserto sua constet veritas.

(*u*) Vrget hoc imprimis PLATO initio *l. VI. de Rep. T. II. Opp. p.* 484. seqq. ubi multis demonstrare satagit, solidam cognitionem neminem habere posse, qui ejusmodi idearum accuratam notitiam fundamenti loco non substernat. Prolixiora sunt, quæ hac de re habet, quam ut hic locum capiant, ex paucis reliqua dijudicari poterunt. Quærit enim ex Glaucone: Ἦ οὖν δοκοῦσί σοι τυφλῶν διαφέρειν οἱ τῷ ὄντι τοῦ ὄντος ἑκάστου ἐστερημένοι τῆς γνώσεως, καὶ μηδὲν ἐναργὲς ἐν τῇ ψυχῇ ἔχοντες παράδειγμα; *Videnturne tibi a cæcis differre ii, qui revera destituti sunt ejus rei cognitione, quæ revera existit, et nullam habent illius in animo informationem* (sic clarius ac Serranus interpretatur Ficinus)*perspicuum nullum in animo exemplar.* Et

Et paulo post *p.* 485. hanc dat Philosophi definitionem: Ὅτι μαθήματός γε ἀεὶ ἐρῶσιν, ὅσα ἂν αὐτοῖς δηλοῖ ἐκείνης τῆς ἐσίας τῆς ἀεὶ ἔσης, καὶ μὴ πλανομένης ὑπὸ γενέσεως καὶ φθορᾶς, *Eos disciplinæ illius semper esse studiosos, cujus beneficio ejus rei natura, quæ semper est, neque generatione et corruptione errat, cognoscitur.* Et licet hic de Philosophia agere videatur, non de ipsa Sapientia, quam a Philosophia ita distinguit, in *Phædro T. III. Opp. p.* 278. ut dicat: Τὸ σοφὸν καλεῖν μέγα εἶναι, καὶ θεῷ μόνῳ πρέπειν, τὸ δὲ ἢ φιλόσοφον ἤτι τοιἕτων, μᾶλλόν τε καὶ ἁρμόττοι καὶ ἐμμελεςέρως ἔχοι. *Sapientis cognomen magnum esse, solique DEO convenire; Philosophi vero, aut similis alicujus cognomen magis aptum commodumque*, qua in re imitatus est Pythagoram, proprie tamen hic de vera Sapientia, quæ finis est Philosophiæ, sermo est. Cujus rei auctorem habemus LAERTIVM *l. III. segm.* 63. qui, postquam monuerat, variis nominibus uti

uti Platonem, ne illius opera, πραγματεία, sive Philosophiæ ratio imperitis et rudibus conspicua sit, addit: Ἰδιαίτατα μὲν σοφίαν ἡγεῖται εἶναι τὴν τῶν νοητῶν καὶ ὄντως ὄντων ἐπιστήμην, ἥν φησι περὶ Θεὸν καὶ ψυχὴν σώματος κεχωρισμένην. ἰδίως δὲ σοφίαν καὶ τὴν φιλοσοφίαν καλεῖ, ὄρεξιν οὖσαν τῆς θείας σοφίας. *Proprie Sapientiam esse arbitratur earum rerum, quæ intelligentia comprehenduntur, et quæ vere sunt, scientiam, quam de DEO ait, et animam a corpore disjunctam. Proprie vero* (*minus proprie* vertendum est, ut jam Aldobrandinus notavit, dixit enim antea ἰδιαίτατα) *et Philosophiam sapientiam vocat, appetitionem quandam et desiderium divinæ sapientiæ.* Sed conferendus PLATO in *Theæteto* et *l. VII. de Republ.* Haud minus quoque luculenter IAMBLICHVS in *vita Pythagoræ c. XII. p.* 65. Edit. Arcer. cui Sapientia est ἡ ἐπιστήμη τις ἡ περὶ τὰ καλὰ, πρῶτα καὶ θεῖα καὶ ἀκήρατα καὶ ἀεὶ κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχοντα. *Scientia versans circa*

pul-

pulchra, *prima*, *divina*, *immortalia*, *ſemperque et eodem modo ſe habentia*; φιλοσοφία δὲ ἡ ζήλωσις τῆς τοιάυτης θεωρίας, *Philoſophia vero æmulatio ejusmodi conſiderationis*. Clementis Alexandrini et Alcinoi loca vide apud GOTTL. MICH. HANSCHIVM. *l. c.* §. 33. *p.* 124. add. PLOTINVS *Ennead. I. l. III.* *c.* 4. *p.* 21. et IAMBLICH. *Protrept.* *c. XXI. p.* 149. Ex hactenus dictis jam ratio patet, cur Philoſophia notitia rerum divinarum a veteribus vocata fuerit, nempe quia circa ideas divinas, ex intellectu ſummi entis productas adeoque circa divinas ſubſtantias verſatur, conf. ARISTOT. *Ethic. l. X.* *c.* 7. et cognoſcitur, cur ideas pabulum magnarum et philoſophicarum animarum appellaverint, quia ſcilicet mens illarum diſciplina et cognitione alitur, nutritur, ſuſtentatur, ut ipſe ait PLATO in *Protagora T. I. p.* 313. et in *Phædro T. III. p.* 247. ubi luculenter: Τὴν ἐν τῷ ὅ ἐςι ὂν, ὄντως ἐπιςήμην ἔσαν, καὶ τἄλλα ὡσάυτως τὰ ὄντως ὄντα θεασαμένη,

μένη, καὶ ἑστιαθῆσα, δῦσα πάλιν εἰς τὸ εἴσω, τοῦ ὀυρανοῦ οἴκαδε ἦλθεν. Animus *eam veram germanamque scientiam, quæ in eo est, quod vere est, et alia, quæ eodem modo, quæ vere sunt, contemplatus, et quasi epulis enutritus, ingressus rursus in interiores cœli partes domum revertitur.* Similia vide apud TVLLIVM *l. V. de fin.* LACTANT. *l. V. c. I.* quæ loca adducit eruditissimus SCHEFFER. *de Philos. Ital. c. VIII. p.* 62. seqq. Splendide imprimis Stoicorum more SENECA *Præfat. l. I. Quæst. natural. T. II. Opp. p.* 629. Edit. Gronov. *Sursum ingentia spatia sunt, in quorum possessionem animus admittitur; at ita, si minimum secum ex corpore tulit, si sordidum omne detersit, et expeditus levisque ac contentus modico emituit. Cum illa tetigit, alitur, crescit, ac veluti vinculis liberatus in sua redit,* etc.

(*x*) Plura hic se cumulant, sigillatim expendenda. I. Platonem animas ex divina essentia per emanationem

quan-

quandam derivasse, ex dictis, et toto ejus Philosophiæ systemate patescit. Cum enim Plato cum omnibus Philosophis ex nihilo nihil fieri posse crederet, ut supra observavimus, materiæ vero, tanquam principio passivo, tantæ virtutis, proprii motus, et simplicissimæ naturæ substantiam, qualem animam esse animadvertit, ortum adscribere non posset, coactus fuit ex divina essentia eam, assumta ab aliis emanatione quadam, derivare. Hac origine supposita omnis jam causa manifesta est, cur Philosophiæ finem ὁμοίωσιν τῷ Θεῷ, reditum ad primum fontem etc. vocaverit. Verum in hac re communi errore fascinatos habuit antecessores vetustissimos Philosophos, quorum loca, ne extra oleas vagemur, collecta vide apud V. C. GOTTL. MICH. HANSCHIVM in *sched. de Enthusiasmo Platon. Sect. IV. c.* 14. *p.* 61. seqq. Platonis vero mentem vel ex uno loco disce. Ita enim disertissimus Philosophus *de legibus l. X. Tom. II.*

Opp.

Opp. p. 899. Ὦ ἄριστε δὴ, ὅτι μὲν ἡγῇ θεοὺς συγγένειά τις ἴσως δὲ θεία πρὸς τὸ ξύμφυτον ἄγει τιμᾶν καὶ νομίζειν εἶναι. *Quod Deos esse fateris, Vir eximie, in causa est, cognata quaedam cum Deo natura, et ad rem tibi insitam ingenitamque colendam impellit; et sane efficit, ut illam esse arbitreris.* Hinc causa colligitur, cur mentem vocet γενουσὴν τῦ πάντων αἰτίυ λεχθέντος, *communicativam*, sive *eandem communicationem habentem cum eo, quod omnium causa dicitur*, in *Philebo T. II. p.* 30. Sequuntur magno consensu magistrum discipuli interque eos HIEROCLES quoque, qui in *Comment. ad carmina aur. c.* 69. de fine Philosophiae magis Platonice quam Pythagorice hunc definit esse: Ἵν', ὅταν ὁ τῦ θανάτυ καιρὸς ἐνςῇ, καταλιπόντες ἐπὶ γῆς τὸ θνητὸν σῶμα, καὶ τὴν τῦτυ φύσιν ἀποδυσάμενοι, πρὸς τὴν οὐράνιον πορείαν ὦσιν εὔζωνοι οἱ τῶν φιλοσοφίας ἀγώνων ἀθληταί. Τότε γὰρ καὶ τὴν ἀρχαίαν αὐτοῖς ἀποδιδέσθαι στάσιν, καὶ θεοποιεῖσθαι, ὅσον οἰόντε ἀνθρω-

ἀνθρώποις θεοῖς γένεσθαι. *Vt, cum mortis tempus instat, relicto in terra mortali corpore, ejusque natura exuta, ad cæleste iter expeditiores fiant philosophicorum certaminum athletæ. Tunc enim in primum statum restitutum iri, et Deos fore, quantum licet hominibus.* Ex quibus patet, Pythagoreos, et, qui eos secuti sunt, Platonicos assimilationem DEI pro fine Philosophiæ ideo posuisse, quia emanasse animam ex essentia divina vel absolute, ut Pythagorei, vel certo respectu, ut cum Hierocle in ultimis verbis Platonici, crediderunt. De qua re multa doctissime collegit, IO. SCHEFFERVS *de nat. et constitut. Philos. Ital. c. VII. p.* 41. seqq. Eandem fere sententiam amplexi sunt Stoici, in eo tantum a Platonis schola diversi, quod hi tertium DEum sive animam mundi, illi primum pro fonte animorum venditant. Quod licet neget et perneget PLOTINVS *Ennead. IV. l. III.* qui περὶ ψυχῆς ἀποριῶν inscribitur *c. I.* seqq. *p.* 371. seqq. quem suo more sequitur FICINVS in

summa libri, licet et ipse Plato magnis se hic involvat tenebris, mentem tamen prodidit in *Philebo T. II. Opp. p.* 29. 30. ubi, postquam sub persona Socratis diu disputavit, quod corpus nostrum ex corpore universi sit decerptum, eadem asserit de anima, et ex Protarcho quærit: Τὸ παρ' ἡμῖν σῶμα ἆρ' οὐ ψυχὴν φήσομεν ἔχειν: cui Prot. Δῆλον, ὅτι φήσομεν. Tum Socrates: Πόθεν ὦ φίλε Πρώταρχε, λαβὸν, εἴπερ μὴ τόγε τοῦ παντὸς σῶμα ἔμψυχον ὂν ἐτύγχανε, ταὐτάγε ἔχον τούτῳ καὶ ἔτι καλλίονα. Cui mox ille: Δῆλον, ὡς οὐδαμόθεν ἄλλοθεν ὦ Σώκρατες. *Nonne affirmabimus, nostrum corpus habere animum? Perspicuum sane est. Unde vero, mi Protarche, aliunde susceperit, nisi illud universi corpus animatum sit? quippe quod hæc eadem ipsa habeat, quæ corpus nostrum, et præstantiora etiam? Manifestum quod nequaquam aliunde.* Quæ verba et satis, quæ sensit Plato, indicant, et Plotinum refutant, cui ob eandem causam

sam

ſam prolixam dicam ſcripſit IO. BAPT. CRISPVS *de Platone caute legendo Diſtrib. I. l. III. p. 60.* qui etiam toto libro de eadem re videndus. Cum vero tertius ille DEus, ſive mundi anima a ſummo primoque DEO orta eſſe et emanaſſe dicatur, clare inde intelligitur, quo modo animæ noſtræ, juxta Platonis ſententiam, ex ipſa divina eſſentia emanaverint. Et in hoc uno a Stoicis differt, quod tardius et per intervallum quaſi ad primi DEI eſſentiam animæ originem referat. Mirus vero hic iterum eſt STEVCHVS *de perenni Philoſoph. l. II. c. 7. p. 21.* et *c. 8. p. 126.* Tertium enim opificem, quem ex Theodoro Platonico notarat vocari fontem animorum, quo nihil divinius vel profundius, noſtram Theologiam vocare contendit creatorem Spiritum, qui ſit anima mundi vivificatrix, mater animarum. Qua in re, quam gravem errorem committat, et ex nimio gentiles hypotheſes cum Scriptura ſacra conciliandi ſtudio

labatur, Platonem vel per transennam inspicienti est in propatulo, unde facilius cum Manichæorum aliorumque hæreticorum placitis, quæ CRISPVS *l. c. p.* 67. produxit, quam cum sacris religionis nostræ dogmatibus hanc hypothesin comparare licet. Plura de hac re dici possent, sed otium nobis fecit IAC. THOMASIVS, qui in *dissert. de fonte animarum*, quæ est inter *dissert. de exustione mundi Stoica XXI. p.* 249. seqq. more suo plane eruditissime de hac re egit; qui quoque *§. VIII. p.* 250. ad IVSTI LIPSII *Phys. Stoic. L. III. diss.* 8. provocat, pronuntiantis, dogma Socraticum, (vel sub ejus nomine Platonicum magis) esse illam de fonte animarum ex mundi anima sententiam. II. Ex prima hac Philosophiæ Platonicæ thesi sequitur altera, animam in se habere omnium rerum ideas, earumque vi immortalitatis suæ posse recordari, cum ex eadem essentia, ex qua productæ sunt ideæ, ortum suum ducat, cum DEO conver-

sata.

ſata. Negari quidem non poteſt, μετεμψυχώσει quoque hic aliquid tribuiſſe Platonem; qua ſuppoſita, rerum olim conſpectarum memoriam anima revocat. Sed hæc reminiſcentia ad res ſenſibiles, non ad intellectuales illas ſubſtantias, quas Plato ideas nominat, pertinet, et ab ea, quæ ex naturali rerum omnium in animo connexione oritur, longe eſt diverſa. De utraque locus eſt ſolito clarior apud PLATONEM in *Timæo Tom. II. p.* 81. Ἅτε οὖν ἡ ψυχὴ ἀθάνατός τε οὖσα, καὶ πολλάκις γεγονυῖα, καὶ ἑωρακυῖα καὶ τὰ ἐνθάδε, καὶ τὰ ἐν ᾅδου, καὶ πάντα χρήματα, οὐκ ἔστιν ὅ,τι οὐ μεμάθηκεν. - - - Ἅτε γὰρ τῆς φύσεως ἁπάσης συγγενοῦς οὔσης, καὶ μεμαθηκυίας τῆς ψυχῆς ἅπαντα, οὐδὲν κωλύει ἓν μόνον ἀναμνησθέντα (ὃ δὴ μάθησιν καλοῦσιν ἄνθρωποι) τἆλλα πάντα αὐτὸν ἀνευρεῖν, ἐάν τις ἀνδρεῖος ᾖ, καὶ μὴ ἀποκάμῃ. *Quum igitur animus immortalis ſit, et ſæpenumero redivivus extiterit, eaque, quæ hic ſunt et apud inferos, viderit, nihil unquam rerum eſt, quas non didicerit.*

rit. - - - *Cum enim universa natura uno quodam cognatoque genere contineatur, et omnia animus didicerit, nihil impedit, hominem, uno quodam in memoriam revocato, quod disciplinam vocant, omnia cætera invenire, si quis virili animo fuerit, nec investigando defetiscat.* Conf. *p.* 35. in *Epinomide T. II. p.* 974. et in *Phæd. T. III. p.* 249. ubi non minus luculenter: Τῦτο ἐςὶν ἀνάμνησις ἐκείνων, ἅποτ᾽ εἶδεν ἡμῶν ἡ ψυχὴ, συμποϱευθεῖσα τῷ Θεῷ. *Hæc est recordatio illarum rerum, quas olim vidit animus noster, cum DEO profectus.* III. Non tamen in hac felicitate perstitit anima, sed ab origine in sequiora deflectens, libertate sua abusa, statusque inde miseriæ, et ex mundo ideali expulsio inque inferiorem et sensibilem detrusio secuta est. Obscurus hic more suo est Plato, et nescio quibus allegoriarum fabularumque involucris rem exposuit, cujus exemplum occurrit *l. X. de Rep. T. II. p.* 617. ubi Lachesin ita loquentem introducit: Ψυχαὶ ἐφήμεϱοι, ἀϱχὴ

ἄλλης

ἄλλης περιόδε θνητᾶ γένους θανατηφόρε. οὐχ ὑμᾶς δαίμων λήξεται, ἀλλ' ὑμᾶς δαίμονα αἱρήσεσθε κ. τ. λ. *Animæ diurnæ, adest primordium alterius circuitus, mortali et lethifero hominum generi destinatum: non vos Dæmon excipiet, sed vos Dæmonem eligetis.* Vbi nescio quam fatalem mortalitatis et deterioris status periodum innuit. In *Timæo* vero *T. III. p.* 41. seq. craterem fingit (per quem animam mundi intelligi admodum verosimiliter judicat IAC. THOMASIVS de *exust. mundi Stoica diss. XXI.* §. 10. *p.* 250.) in quo Deus miscuerit omnes animas diversæ naturæ, eosque siderum numero pares distribuerit et νόμες τὲς εἱμαρμένες εἶπεν αὐτοῖς, *leges fatales et necessarias ipsis proposuerit*, unde tandem oriundum sit animal religiosissimum. Quibus addit, animos necessario corporibus inserendos fuisse, DEum vero, postquam certis legibus designasset, quæ fugienda, quæ sectanda, ut sese extra culpam poneret, sationem reliquam Diis minoribus permisisse, ut corpora mortalium effinge-

μένῃ, καὶ ἑστιαθῆσα, δῦσα πάλιν εἰς τὸ εἴσω τοῦ οὐρανοῦ οἴκαδε ἦλθεν. Animus *eam veram germanamque scientiam, quae in eo est, quod vere est, et alia, quae eodem modo, quae vere sunt, contemplatus, et quasi epulis enutritus, ingressus rursus in interiores coeli partes domum revertitur.* Similia vide apud TVLLIVM *l. V. de fin.* LACTANT. *l. V. c. I.* quae loca adducit eruditissimus SCHEFFER. *de Philos. Ital. c. VIII. p.* 62. seqq. Splendide imprimis Stoicorum more SENECA *Praefat. l. I. Quaest. natural. T. II. Opp. p.* 629. Edit. Gronov. *Sursum ingentia spatia sunt, in quorum possessionem animus admittitur; at ita, si minimum secum ex corpore tulit, si sordidum omne detersit, et expeditus levisque ac contentus modico emicuit. Cum illa tetigit, alitur, crescit, ac veluti vinculis liberatus in sua redit*, etc.

(*x*) Plura hic se cumulant, sigillatim expendenda. I. Platonem animas ex divina essentia per emanationem quan-

quandam derivasse, ex dictis, et toto ejus Philosophiæ systemate patescit. Cum enim Plato cum omnibus Philosophis ex nihilo nihil fieri posse crederet, ut supra observavimus, materiæ vero, tanquam principio passivo, tantæ virtutis, proprii motus, et simplicissimæ naturæ substantiam, qualem animam esse animadvertit, ortum adscribere non posset, coactus fuit ex divina essentia eam, assumta ab aliis emanatione quadam, derivare. Hac origine supposita omnis jam causa manifesta est, cur Philosophiæ finem ὁμοίωσιν τῷ Θεῷ, reditum ad primum fontem etc. vocaverit. Verum in hac re communi errore fascinatos habuit antecessores vetustissimos Philosophos, quorum loca, ne extra oleas vagemur, collecta vide apud V. C. GOTTL. MICH. HANSCHIVM in *sched. de Enthusiasmo Platon. Sect. IV. c.* 14. *p.* 61. seqq. Platonis vero mentem vel ex uno loco disce. Ita enim disertissimus Philosophus *de legibus l. X. Tom. II.*

Opp.

Opp. p. 899. Ὦ ἄριστε δὴ, ὅτι μὲν ἡγῇ θεοὺς συγγένειά τις ἴσως δὲ θεία πρὸς τὸ ξύμφυτον ἄγει τιμᾷν καὶ νομίζειν εἶναι. *Quod Deos esse fateris, Vir eximie, in causa est, cognata quaedam cum Deo natura, et ad rem tibi insitam ingenitamque colendam impellit; et sane efficit, ut illam esse arbitreris.* Hinc causa colligitur, cur mentem vocet γενουσὴν τῆ πάντων αἰτίας λεχθέντος, *communicativam*, sive *eandem communicationem habentem cum eo, quod omnium causa dicitur*, in *Philebo T. II. p.* 30. Sequuntur magno consensu magistrum discipuli interque eos HIEROCLES quoque, qui in *Comment. ad carmina aur. c.* 69. de fine Philosophiae magis Platonice quam Pythagorice hunc definit esse: Ἵν', ὅταν ὁ τῆ θανάτῆ καιρὸς ἐνςῇ, καταλιπόντες ἐπὶ γῆς τὸ θνητὸν σῶμα, καὶ τὴν τῆτῆ φύσιν ἀποδυσάμενοι, πρὸς τὴν οὐράνιον πορείαν ὦσιν εὔζωνοι οἱ τῶν φιλοσοφίας ἀγώνων ἀθληταί. Τότε γὰρ καὶ τὴν ἀρχαίαν αὐτοῖς ἀποδιδέσθαι στάσιν, καὶ θεοποιεῖσθαι, ὅσον οἷόντε ἀνθρω-

ἀνθρώποις θεῖος γένεσθαι. Vt, cum mortis tempus instat, relicto in terra mortali corpore, ejusque natura exuta, ad cæleste iter expeditiores fiant philosophicorum certaminum athletæ. Tunc enim in primum statum restitutum iri, et Deos fore, quantum licet hominibus. Ex quibus patet, Pythagoreos, et, qui eos secuti sunt, Platonicos assimilationem DEI pro fine Philosophiæ ideo posuisse, quia emanasse animam ex essentia divina vel absolute, ut Pythagorei, vel certo respectu, ut cum Hierocle in ultimis verbis Platonici, crediderunt. De qua re multa doctissime collegit, IO. SCHEFFERVS *de nat. et constitut. Philos. Ital. c. VII. p.* 41. seqq. Eandem fere sententiam amplexi sunt Stoici, in eo tantum a Platonis schola diversi, quod hi tertium DEum sive animam mundi, illi primum pro fonte animorum venditant. Quod licet neget et perneget PLOTINVS *Ennead. IV. l. III.* qui περὶ ψυχῆς ἀποριῶν inscribitur *c. I.* seqq. *p.* 371. seqq. quem suo more sequitur FICINVS in

ſumma libri, licet et ipſe Plato magnis ſe hic involvat tenebris, mentem tamen prodidit in *Philebo T. II. Opp. p.* 29. 30. ubi, poſtquam ſub perſona Socratis diu diſputavit, quod corpus noſtrum ex corpore univerſi ſit decerptum, eadem aſſerit de anima, et ex Protarcho quærit: Τὸ παρ' ἡμῖν σῶμα ἆρ' οὐ ψυχὴν φήσομεν ἔχειν: cui Prot. Δῆλον, ὅτι φήσομεν. Tum Socrates: Πόθεν ὦ φίλε Πρώταρχε, λαβὸν, εἴπερ μὴ τόγε τοῦ παντὸς σῶμα ἔμψυχον ὂν ἐτύγχανε, ταὐτάγε ἔχον τούτῳ καὶ ἔτι καλλίονα. Cui mox ille: Δῆλον, ὡς οὐδαμόθεν ἄλλοθεν ὦ Σώκρατες. *Nonne affirmabimus, noſtrum corpus habere animum? Perſpicuum ſane eſt. Vnde vero, mi Protarche, aliunde ſuſceperit, niſi illud univerſi corpus animatum ſit? quippe quod hæc eadem ipſa habeat, quæ corpus noſtrum, et præſtantiora etiam? Manifeſtum quod nequaquam aliunde.* Quæ verba et ſatis, quæ ſenſit Plato, indicant, et Plotinum refutant, cui ob eandem cauſam

ſam prolixam dicam ſcripſit IO. BAPT. CRISPVS *de Platone caute legendo Diſtrib. I. l. III. p. 60.* qui etiam toto libro de eadem re videndus. Cum vero tertius ille DEus, ſive mundi anima a ſummo primoque DEO orta eſſe et emanaſſe dicatur, clare inde intelligitur, quo modo animæ noſtræ, juxta Platonis ſententiam, ex ipſa divina eſſentia emanaverint. Et in hoc uno a Stoicis differt, quod tardius et per intervallum quaſi ad primi DEI eſſentiam animæ originem referat. Mirus vero hic iterum eſt STEVCHVS *de perenni Philoſoph. l. II. c. 7. p. 21.* et *c. 8. p. 126.* Tertium enim opificem, quem ex Theodoro Platonico notarat vocari fontem animorum, quo nihil divinius vel profundius, noſtram Theologiam vocare contendit creatorem Spiritum, qui ſit anima mundi vivificatrix, mater animarum. Qua in re, quam gravem errorem committat, et ex nimio gentiles hypotheſes cum Scriptura ſacra conciliandi ſtudio laba-

labatur, Platonem vel per transfennam infpicienti eft in propatulo, unde facilius cum Manichæorum aliorumque hæreticorum placitis, quæ CRISPVS *l. c. p.* 67. produxit, quam cum facris religionis noftræ dogmatibus hanc hypothefin comparare licet. Plura de hac re dici poffent, fed otium nobis fecit IAC. THOMASIVS, qui in *differt. de fonte animarum*, quæ eft inter *differt. de exuftione mundi Stoica XXI. p.* 249. feqq. more fuo plane eruditiffime de hac re egit; qui quoque §. *VIII. p.* 250. ad IVSTI LIPSII *Phyf. Stoic. L. III. diff.* 8. provocat, pronuntiantis, dogma Socraticum, (vel fub ejus nomine Platonicum magis) effe illam de fonte animarum ex mundi anima fententiam. II. Ex prima hac Philofophiæ Platonicæ thefi fequitur altera, animam in fe habere omnium rerum ideas, earumque vi immortalitatis fuæ poffe recordari, cum ex eadem effentia, ex qua productæ funt ideæ, ortum fuum ducat, cum DEO conver-

fata.

ſata. Negari quidem non poteſt, μετεμψυχώσει quoque hic aliquid tribuiſſe Platonem; qua ſuppoſita, rerum olim conſpectarum memoriam anima revocat. Sed hæc reminiſcentia ad res ſenſibiles, non ad intellectuales illas ſubſtantias, quas Plato ideas nominat, pertinet, et ab ea, quæ ex naturali rerum omnium in animo connexione oritur, longe eſt diverſa. De utraque locus eſt ſolito clarior apud PLATONEM in *Timæo Tom. II. p.* 81. Ἅτε ἦν ἡ ψυχὴ ἀθάνατός τε ἦσα, καὶ πολλάκις γεγονυῖα, καὶ ἑωρακυῖα καὶ τὰ ἐνθάδε, καὶ τὰ ἐν ᾅδυ, καὶ πάντα χρήματα, οὐκ ἔςιν ὅ, τι οὐ μεμάθηκεν. - - - Ἅτε γὰρ τῆς Φύσεως ἁπάσης συγγενοῦς ἔσης, καὶ μεμαθηκυίας τῆς ψυχῆς ἅπαντα, οὐδὲν κωλύει ἓν μόνον ἀναμνησθέντα (ὃ δὴ μάθεσιν καλῦσιν ἄνθρωποι) τἄλλα πάντα αὐτὸν ἀνευρεῖν, ἐὰν τὶς ἄνδρειος ᾖ, καὶ μὴ ἀποκάμῃ. *Quum igitur animus immortalis ſit, et ſæpenumero redivivus extiterit, eaque, quæ hic ſunt et apud inferos, viderit, nihil unquam rerum eſt, quas non didicerit.*

rit. - - - *Cum enim universa natura uno quodam cognatoque genere contineatur, et omnia animus didicerit, nihil impedit, hominem, uno quodam in memoriam revocato, quod disciplinam vocant, omnia cætera invenire, si quis virili animo fuerit, nec investigando defetiscat.* Conf. *p.* 35. in *Epinomide T. II. p.* 974. et in *Phæd. T. III. p.* 249. ubi non minus luculenter: Τῦτο ἐςὶν ἀνάμνησις ἐκείνων, ἅποτ᾽ εἶδεν ἡμῶν ἡ ψυχὴ, συμπορευθεῖσα τῷ Θεῷ. *Hæc est recordatio illarum rerum, quas olim vidit animus noster, cum DEO profectus.* III. Non tamen in hac felicitate perstitit anima, sed ab origine in sequiora deflectens, libertate sua abusa, statusque inde miseriæ, et ex mundo ideali expulsio inque inferiorem et sensibilem detrusio secuta est. Obscurus hic more suo est Plato, et nescio quibus allegoriarum fabularumque involucris rem exposuit, cujus exemplum occurrit *l. X. de Rep. T. II. p.* 617. ubi Lachesin ita loquentem introducit: Ψυχαὶ ἐφήμεροι, ἀρχὴ

ἄλλης

ἄλλης περιόδȣ θνητȣ̃ γένους θανατηφόρȣ. ȣ̓χ ὑμᾶς δαίμων λήξεται, ἀλλ' ὑμᾶς δαίμονα αἱρήσεσθε κ. τ. λ. *Animæ diurnæ, adeſt primordium alterius circuitus, mortali et lethifero hominum generi deſtinatum: non vos Dæmon excipiet, ſed vos Dæmonem eligetis.* Vbi neſcio quam fatalem mortalitatis et deterioris ſtatus periodum innuit. In *Timæo* vero *T. III. p.* 41. ſeq. craterem fingit (per quem animam mundi intelligi admodum veroſimiliter judicat IAC. THOMASIVS de *exuſt. mundi Stoica diſſ. XXI. §.* 10. *p.* 250.) in quo Deus miſcuerit omnes animas diverſæ naturæ, eosque ſiderum numero pares diſtribuerit et νόμȣς τȣ̃ς εἱμαρμένȣς εἶπεν αὐτοῖς, *leges fatales et neceſſarias ipſis propoſuerit*, unde tandem oriundum ſit animal religioſiſſimum. Quibus addit, animos neceſſario corporibus inſerendos fuiſſe, DEum vero, poſtquam certis legibus deſignaſſet, quæ fugienda, quæ ſectanda, ut ſeſe extra culpam poneret, ſationem reliquam Diis minoribus permiſiſſe, ut corpora mortalium effinge-

 rent,

rent, quantumque esset reliquum ex animo humano, quod deberet accedere, perpolirent, deinde et huic animali se duces praeberent. Hic iterum magna obscuritate laborat Plato, vel sibi non constat, cum hic necessariam animorum cum corpore conjunctionem annuere videatur, quam tamen ob praevium lapsum in poenam a DEO decretam esse, satis diserte dicit, quando corpus custodiam, sepulchrum, carcerem et his similia nominat; videatur locus ex *Cratylo* mox dandus. Aliam similitudinem (vix enim a Platone in re subobscura, et quam ex traditionis reliquiis satis tenuibus corrupte hauserat, aliud quid expectari potest) in *Phaedro T. III. p.* 246. seq. affert, ubi prolixa commentatione exponit, animam similem fuisse currui alato, qui, cum alae ei defluxerint, gravitate premitur, ferturque, donec solidum quidpiam comprehenderit, ubi habitaculum nactus, corpus terrenum suscipit. Locus ipse apud Platonem videndus, pro-

prolixior enim eſt, quam qui hic exſcribatur. Add. *l. X. de Rep. T. II. p.* 614. ubi æque ac in reliquis ἀλληγορεῖ. conf. CRISPVS *l. c. diſtr. II. l. I. p.* 132. ſeqq. Hactenus quidem ſatis obſcure Plato; cujus veſtigiis totus inſiſtit PLOTINVS *Ennead. IV. l. III. p.* 383. ſeqq. Quod ſi tamen ea, quæ allata ſunt, IV. conferamus cum iis, quæ de corporis natura et conditione in relatione ad animum dixit, lux aliqua ſuperioribus affulgebit. In eo enim eſt totus PLATO in *Phædone T. I. p.* 66. ſeqq. ut demonſtret, quot modis miſere cruciețur animus, impediatur in vera rerum indagatione, repleatur inanibus formis et imaginibus; et ad neſcio quam inſaniam concitetur, ita ut tandem fateatur: Ὑπὸ σώματος οὐδὲ φρονῆσαι ἡμῖν ἐγγίγνεται οὐδέποτε οὐδέν. *Per corpus nullo unquam modo nobis ſapere licet.* Prolixius ea perſequitur in ſequentibus, ubi ſolutionem et liberationem a corpore quam maxime urget, quo ſenſu in *Axiocho*, qui dialogus Platoni quidem

 eſt

est suppositus, ad ejus tamen doctrinæ normam conscriptus est, homo vocatur ψυχὴ ζῶον ἀθάνατον ἐν θνητῷ καθειργμένον φρουρίῳ, *Anima, vita immortalis in mortali custodia inclusa*, et mox τὸ σκῆνος πρὸς κακοῦ περιήρμοσεν ἡ φύσις. *Hoc tabernaculum nostro incommodo maloque circumdedit natura.* Pariter *l. VII. de Rep. T. II. p. 517.* causam ignorantiæ, modumque ascensus ad superiora explicitururus Plato, corpus carceri antroque assimilat, in quo homo vinculis constrictus detinetur, ne, quæ extra sunt, videre queat. Ast reliquis clariora sunt, quæ occasione vocis σῶμα ejusque etymologiæ in *Cratylo Tom. I. p. 400.* curiose differit, (quam feliciter vero, hic non est disquirere;) Ait enim: Καὶ σῆμα τινές φασιν αὐτὸ (σῶμα) εἶναι τῆς ψυχῆς, ὡς τεθαμμένης ἐν τῷ νῦν παρόντι. *Nam sepulchrum animæ corpus esse ajunt quidam, tanquam ad hoc quidem tempus anima sit in corpore sepulta.* Et post pauca subjicit: Δοκοῦσι μέντοι μοι μάλιστα

θέσθαι

θέσθαι οἱ ἀμφὶ Ὀρφέα τοῦτο τὸ ὄνομα, ὡς δίκην διδούσης τῆς ψυχῆς, ὧν δὴ ἕνεκα δίδωσι. Τοῦτον δὲ περίβολον ἔχειν, ἵνα σώζηται δεσμωτηρίου εἰκόνα. Εἶναι οὖν τῆς ψυχῆς τοῦτο αὐτὸ, ὥσπερ ὀνομάζεται, ἕως ἂν ἐκτίσῃ τὰ ὀφειλόμενα τὸ σῶμα. *Videntur tamen mihi quidem Orphei studiosi istius vocabuli originem optime notasse, videlicet ut significetur anima pœnas pendere, et quidem explicari, qua de causa illa pœnas pendat. Animam igitur, quasi vallum claustrumque carceris scilicet imaginem hoc corpus circumferre, ut ipsa servetur, ac proinde illud ipsum animæ esse corpus, quod præ se fert vocabulum, donec, quæ debet anima, plane in corpore persolverit*; ut SERRANVS παραφράζει. Habemus itaque secundum Platonis mentem veram miseriæ animæ causam, lapsum ex mundo ideali in sensualem, corporisque nata inde vincula, carceremque, et secutam deinde idearum intelligibilium oblivionem, quam Plato eo magis inter summas infelicitates referre necesse habebat, quo majori contentio-

ne ſcientiam ſive cognitionem intuitivam paſſim in dialogis pro ſummo bono fineque hominis, vel ejus ſaltem immediata cauſa habet. Id quod nemini obſcurum eſſe poteſt, qui ea, quæ copioſe dicta ſunt, vel mediocri attentione expenderit. Conf. SENECA *Ep.* 65. qua in Platonem quaſi commentatur, et ubi ſplendide more ſuo: *Animus gravi ſarcina preſſus, explicari cupit, et reverti ad alia, quorum fuit; nam corpus hoc animi pondus ac pœna eſt, premente illo urgetur, in vinculis eſt, niſi acceſſit Philoſophia, et illum reſpirare rerum naturæ ſpectaculo juſſit, et a terrenis dimiſit ad divina. Hæc libertas ejus eſt, hæc evagatio: ſubducit interim ſe cuſtodiæ, in qua tenetur, et cœlo reficitur*, etc. Sed et reliqua legenda ſunt, totus enim in hoc argumento occupatur. V. Facile jam intelligi poteſt, quid ſibi velit Plato, quando animam humanam tabulæ aſſimilat, in qua cera, quæ obducta fuit, remota, prioris veſtigia ſcripturæ iterum apparent. Cor-

Corporis enim ſenſuumque velamina obducta quaſi menti obſtare putat, quo minus, quæ in ea ſcripta ſive inſita ſunt, veritatis æterna ſemina ideæque ab ipſa cognoſci poſſint, quæ ubi removentur, prioris cognitionis ſtamina redeunt, ideæque inſitæ intelliguntur. Videantur, quæ hanc in rem prolixe PLATO in *Theæteto T. II. p.* 191. ſeqq. dixit, quibuſcum conferri debent, quæ de ἀναμνήσει toties inculcat in *Phædone T. I. p.* 72. ſeqq. et in *Menone T. II. p.* 85. ſeqq. Nec tamen Platonis inconſtantiam hic ſatis mirari poſſumus, qui ſyſtematis ſui de reminiſcentia plus una vice oblitus ſibi ipſi contradixit, et ſcientiam ex inductione et per acquiſitionem naſci docuit, cujus rei clarus locus eſt in *Theætet. T. II. p.* 197. ubi animum cum columbario comparat. Nos hic moram non nectimus, ſed unum tantum, illudque luculentiſſimum exemplum afferimus, quando in *Philebo T. II. p.* 39. ita Socrates, Δοκεῖ μοι, inquit, ἡμῶν ἡ ψυχὴ βιβλίῳ τινὶ προσ-

εοικέναι. Ἡ μνήμη ταῖς αἰσθήσεσιν ξυμπίπτουσα εἰς ἑαυτὸν, κἀκεῖνα, ἃ περὶ ταῦτά ἐςι τὰ παθήματα, φαίνονταί μοι σχεδὸν οἷον γράφειν ἡμῶν ἐν ταῖς ψυχαῖς τότε λόγους. καὶ ὅταν μὲν ἀληθῆ γράψῃ τοῦτο τὸ πάθημα, δόξα τε ἀληθὴς, καὶ λόγοι ἀπ' αὐτοῦ ξυμβαίνουσιν, ἀληθεῖς ἐν ἡμῖν γιγνόμενοι. *Videtur mihi animus noſter libro cuidam aſſimilis. Memoria in idem cum ſenſibus incidens, et illæ, quæ his in rebus affectiones verſantur, ſermones quosdam in animis noſtris tunc mihi quidem veluti inſcribere videntur, et cum vera quidem ſcripſerint, hæc affectio et opinio vera eſt, et ſermones, qui inde proficiſcuntur veri in nobis exiſtunt.* En Platonem in Ariſtotelis caſtra transfugam propriæque hypotheſis deſertorem, quem fruſtra Ficinus et Serranus ideo torquent, ut ejus cauſæ conſulant, ut oſtendit, qui diligenter in hac materia deſudavit I. B. CRISPVS *de Platone caute legendo diſtr. II. l. VI. p.* 270. 286. quem, ubi occaſio tulerit, conſuluiſſe forte non pœnitebit.

(y) Quæ

(y) Quæ media, quos gradus Plato adhiberi velit, prolixius est, quam quod hic loci multis exponatur, videndusque est: de mediis, quæ animum purgant, in semetipsum ducunt, et ad DEum elevant, quibus scilicet mens ad considerationem ipsarum æternarum substantiarum, et similitudinem DEI præparatur, IO. SCHEFFERVS libro sæpius laudato *c. IX. p.* 67. seqq. et S. R. D. BVDDEVS in *Analect. Histor. Phil. p.* 364. seqq. Pythagorica enim cum Platonicis amice hic conspirant. Verum hæc ad moralem disciplinam potius pertinent. Quod ad Dialecticos gradus attinet, quibus mens ad intuitivam cognitionem ducitur, videndus est ALCINOVS de *doctrina Platonis c. V.* apud THOM. STANLEIVM *Hist. Philos. P. IV. p.* 330. seqq. et DIOGENES quoque LAERTIVS *l. III. segm.* 13. imprimis vero ipse PLATO *Epist. VII. T. III. p.* 343, seqq. quæ omnia eo tendunt, ut abstracta a sensibilibus mens semper

magis

magis universalia sibi formet concipiatque, donec tandem ad primam illam veramque ideam perveniat. Luculentum exemplum applicando dedit Plato in doctrina morali de summo bono *l. VI. de Republ. T. II. p.* 484. ad quem locum SERRANVS videndus, addendique ARISTOTEL. *Magn. Moral. l. I. c. I.* DIONYS. PETAVIVS *Dogm. Theol. P. I. l. IV. c. IX. p.* 285. ZENTGRAV. *Diss. de genuina sententia Platonis de idea boni Arg.* 1679. edita. GER. IO. VOSSIVS *de Phil. Sectis c. XII. §. 11. T. III. Opp. p.* 301. IO. GEORG. PASCHIVS *Introd. in Philos. mor. Vet. c. I.* annexa tr. *de variis modis tradendi moralia. p.* 533. seqq. Vbi tamen memori passim mente ea repetenda sunt, quæ hactenus monuimus, ne in devia forte deducamur.

§. VII.

Et hæc sunt dignissima illa objecta, æternæ scilicet rerum formæ

mæ ſive ideæ, circa quas ſolas Sapientiam et Philoſophiam verſari Plato voluit. Non negavit quidem facundiſſimus Philoſophus ideas intellectus noſtri, quæ vel incurſione ſui, (z) vel abſtractione, vel compoſitione et proportione generari plerique Philoſophi dicunt; eas vero ſenſibiles, umbratiles et ſuperficiarias eſſe contendit, quæque animum veritatis cupidum ſatiare non poſſint, neque veram, ſolidam, et æternorum ſcientiam gignant, unde et idearum intelligibilium neceſſitatem derivat. (*a*) Mirum itaque non eſt, doctrinam de ideis pro cardine capiteque Philoſophiæ Platonicæ haberi. (*b*)

(z) Vid. PLATO in *Sophiſta T. I. p.* 215. et in *Polit. p.* 253. 255. in *Theæt. p.* 191. in *Cratylo p.* 430. ex quibus locis cuncta haud inconcinne in compendium contraxit SERRANVS *Argum. in Parmen. T. III. p.* 125. hunc in

modum: *Communium notionum, quæ* ἰδέας *etiam vocabulo apud Platonem designantur, originem ita tradit: Nullam videlicet futuram ſcientiam, niſi illæ* τῶν καθόλȣ ἔννοιαι *conſtituantur: quum nulla dari poſſit rerum ſingularium ſcientia. Majorem illam et latiorem notionum amplitudinem,* γένος, *minorem* εἶδος *ſive* ἰδέαν *vocat: illa* τὰ εἴδη *contineri cenſet, hac individua, quanquam* γένους *et* εἴδους *vocabula ſæpiſſime apud illum commutantur. Harum notionum effectrix eſt mens, quandoquidem hæc vocabula doctrinæ cauſa fuerunt inſtituta. Illud igitur, quod eſt unum* ἀμερὲς, *et individua proxime complectitur,* εἶδος *ſive* ἰδέαν *vocat.* Cavendum tamen hic quoque, ne, quod facere videtur Serranus, idearum intelligibilium nomina cum iſtis notionibus confundamus. Conferantur cum hiſce, quæ prolixe PLOTINVS diſſerit *Ennead. V. l. IX. c. 6.* ſeqq. *p.* 560. ſeqq. et locus Pſeudo-Triſmegiſti ſupra §. 6. nota (*t*) allatus, ubi ideæ mentales, ut ita dicam, ſive ἔννοιαι, vocantur

cantur ἀληθείας μιμήματα, reliqua vero, ideæ ſcilicet ſictæ, erroneæ, inadæquatæ, ψεῦδος καὶ πλάνος καὶ δόξαι φαντασίας.

(*a*) Quæcunque hactenus explicata ſunt, eleganti prorſus abſtruſamque hypotheſin ſatis luculenter illuſtranti ſimilitudine exponit PLATO *l. VII. de Rep. T. II. p.* 515. ſeqq. Iubet enim in animo repræſentare ſubterraneum quoddam in antro domicilium, cujus ingreſſus longiſſime pateat in univerſum antrum ad ipſam lucem: in eo homines adeſſe a pueritiæ tempore, cervices et crura ita conſtrictos, ut ea tantum ſpectare poſſint, quæ ſunt ante oculos, capita vero vinculis aſtricta minime circumvertere queant. Sit porro, inquit, a tergo ignis ſplendor ſuperne et eminus emicans, ac inter ignem et vinctos illos homines via ſuperior adſit, et murus ſeorſim conſtructus, ut hominum viſus arceatur. Poſt hunc murum homines jubet fin-

gere, qui non conſpiciantur, varia tamen vaſa, hominumque et animantium ſtatuas et imagines lapideas circumferant, ita ut parieti ſuperemineant, illi vero partim loquantur, partim ſileant. Jam vincti, pergit, illi homines nihil ſui vel aliorum videbunt, præter umbras, quæ ab igne in adverſam ſpeluncæ partem cadunt, quia ita conſtricti ſunt, ut caput movere non poſſint. Par ratio quoque erit eorum, quæ circumferuntur: Quod ſi illi inter ſe poſſint colloqui, iisdem nominibus rerum umbras vocabunt, quibus res ipſas. Et ſi echo ex adverſa carceris parte reſonaret, quoties prætereuntium aliquis loqueretur, nihil aliud loqui exiſtimabunt, quam ipſam illam tranſeuntium umbram, veritatemque rerum in iſtis umbris quærent. Horum aliquis ſi ſolveretur, et cogeretur continuo exurgere, collum circumverſare et lucem aſpicere, is certe dolebit, et propter ſplendorem res, quarum umbras viderat, contueri non poterit,

et,

et, ubi nugas prius umbrasque vidisse, nunc autem rebus ipsis propinquior esse moneretur, et quis quilibet prætereuntium sit, monstrando respondere cogeretur, dubius hærebit, arbitratus, veriora illa esse, quæ antea cernebat, quam ea, quæ tunc sibi primum ostenduntur, imo lucis splendore vehementius affectus doloreque compulsus, illam fugiet, ad ea se conversurus, quæ potest aspicere. Hinc, infert Plato, consuetudine opus erit, et primo quidem umbras facillime conspiciet, postea vero in aquis hominum animaliumque imagines, tum quæ in cœlo sunt, cœlumque ipsum noctu facilius contemplabitur, astrorumque et lunæ lucem, quam solem ejusque jubar interdiu. Tandem ipsum solem aspiciet, non ejus in aqua vel alibi imaginem; sed ipsum per se in sua propria sede, sicuti est, intueri poterit: quem deinde auctorem temporum, moderatoremque omnium rerum, quæ in mundo fiunt, esse ratiocinando colliget, hisque gra-

dibus illum in modum aſcendet, reliquorum vero in antro relictorum miſeriam ſtatumque deplorabit, et extrema potius patietur, quam ut revertatur in priorem locum. Illis vero, ubi forte reverſus fuerit, ſtatum ipſorum deteſtatus, riſum excitabit, corruptorumque oculorum inſimulabitur. Hactenus Plato, qui elegantem hanc imaginem haud minore dictionis nitore enarratam, in ſequentibus ad ideam ſummi boni, quam ſolis imagine repræſentarat, applicat, ita tamen, ut multa ex antecedentibus ſupponat. Nos antequam colophonem Platonicæ de ideis doctrinæ conſiderationi imponimus, in adducto ſimili pleraque, quæ hucusque allata ſunt, contineri et confirmari obſervamus. Videas enim I. notari vinculum corporis, quod nos impedit, quo minus res ipſas intueamur. II. Cognitionem umbratilem hominum, quousque in ſenſibilibus, fluxis, et incertis verſantur, quam tamen pro ipſa

ipsa veritate venerantur coluntque. III. Ideas sive essentiales formas, quarum umbræ sunt res sensibiles, quibus homines occupantur; formas, quæ extra hoc antrum revera existunt, et propria gaudent substantia, a sole quoque, per quem conspici possunt, id est, a DEO diversæ sunt. IV. Summam ideam, a qua omnia suo igne accipiunt substantiam naturamque. V. Solutionem a vinculis corporis sive carceris antrive, ut animus eniti queat ad veram lucem. VI. Necessitatem graduum in ἀνόδῳ ad ideam summi et perfectissimi entis observandorum. VII. Felicitatem hominis, qui in superiora evasit, et stulta hominum cæca ignorantia adhuc detentorum de hoc ascensu judicia. Quæ omnia, ut in antecedentibus una cum suis fundamentis ex propriis et domesticis fontibus probata sunt, ita lucem hic maxime fænerant, justamque constituunt ἀνακεφαλαίωσιν.

(*b*) Ita vocat Platonicum hoc dogma ATTICVS Platonicus apud EVSEBIVM *de præparat. Evang. l. XV. c.* 13. *p.* 815. edit. Colon. Τὸ κεφάλαιον καὶ τὸ κῦρος τῆς Πλάτωνος αἱρέσεως, ἡ περὶ τῶν νοητῶν διάταξις, *caput ac cardo Philosophiæ* sive *secta Platonicæ rerum intelligibilium doctrina.* Et paulo post ejus rationem daturus: Τὸ μὲν ὖν ἄκρον καὶ ἔσχατον τῶν Πλάτωνος φιλοσοφημάτων ἐςὶ τὸ περὶ τὴν νοητὴν ταυτὴν καὶ ἀΐδιον ἐσίαν τὴν τῶν ἰδεῶν. Ἔνθα δὴ πόνοςτε καὶ ἀγὼν ἔσχατος τῇ ψυχῇ πρόκειται. Ὁ μὲν γὰρ μετεσχὼν καὶ ἐφικόμενος αὐτῆς, πάντως εὐδαίμων· ὁ δὲ ἀπολειφθεὶς καὶ ἀδυνατήσας θεωρὸς γενέσθαι, πάντως ἄμοιρος εὐδαιμονίας καταλείπεται. Καὶ διὰ τἕτο Πλάτων τε πανταχἕ διαγωνίζεται, δεικνὺς τὴν ἰσχὺν τούτων τῶν φύσεων. - - Οὐδὲν ἔτι τὸ Πλατωνικὸν ἀπολείπεται, εἰ μὴ τὰς πρώτας καὶ αρχικωτάτας φύσεις ταύτας συγχωρήσεταί τις αὐτοῖς ὑπὲρ Πλάτωνος, κ. τ. λ. *Quippe summum illud atque ultimum est Platonicorum dogmatum, quod in spiritali,* (intelligibili) *hac*

hac et sempiterna idearum natura versatur : ubi proinde supremus animo labor certamenque proponitur. Nam qui ad illam adspirare, eaque frui potuerit, is beatus omnino; cui eandem intueri ac pervidere non licuerit, omni felicitate vacuus spoliatusque relinquitur. Itaque hoc ubique Plato et omni ratione contendit, ut harum naturarum vim potestatemque demonstret. - - Neque enim Platonicum amplius quicquam tueri possunt, nisi eis primarias illas principesque naturas Platonis in gratiam concesseris, etc. Paria apud Platonicos reliquos ubique, quin apud ipsum Platonem locis sæpissime citatis occurrunt.

§. VIII.

Fuit hæc Platonis de ideis sententia, tantopere apud veteres pariter et recentiores decantata. Non tamen in rerum naturalium causis explicandis omnibus ejus ætatis et

posteriorum temporum Philosophis eadem via placuit. Heraclitus enim, Protagoras, Empedocles, Cratylus, et alii, (*c*) omni æternarum substantiarum hypothesi proscripta, cuncta fluere instar fluvii, adeoque nullam dari substantiam firmam et immutabilem, sed casu varioque motu omnia fieri docuerunt. Et illa quidem ante Platonem proposita ei de ideis cogitandi occasionem dedisse, in antecedentibus (*d*) jam notavimus. Aristoteles vero, qui Platonis doctrina diu fuit innutritus, (*e*) observatis, quibus hypothesis de ideis premitur, difficultatibus, eam diserte rejecit, obscuritatisque et absurditatis accusavit. Quod ut ex unanimi cum veterum tum ipsius Aristotelis scriptorum consensu satis evidenter patet, (*f*) ita frustra laborant, qui Aristotelem varia ratione cum Platone hic conciliare satagunt. (*g*)

(*b*) Quæ

(*c*) Quæ Physiologiæ Heracliteæ ratio fuerit, prolixe exponere, esset Iliada post Homerum scribere, postquam Vir de Republica literaria maxime meritus, et nimis maturo fato nobis ereptus GOTTFRID. OLEARIVS, duabus dissertationibus *de principio rerum naturalium ex mente Heracliti*, et *de rerum naturalium genesi Heraclitea Lipsiæ* 1699. et 1702. habitis, et postea præstantissimæ, quam nobis dedit, THOMAE STANLEII *Historiæ Philos. versioni Latinæ P. IX. s. I. p.* 839. seqq. insertis, rem omnem confecit, et quæ dici poterant, coacervavit, quo Lectorem merito remittimus, et ea tantum, quæ in rem nostram sunt, observamus; scilicet inconstantem fluxum perpetuumque motum particularum Heraclitum asseruisse, nihilque stabilis firmique, et ita nec substantias ullas æternas, quales Plato introduxit, admisisse. Cujus testes habemus, præter ea, quæ supra ex Aristotele adducta sunt, ipsum PLATONEM in *Cratylo T. I.*

p. 401.

p. 401. ubi hunc in modum, rationem etymologicam vocis ὠσία daturus: Ὅσοι ὠσίαν (ἔλεγον) (σχεδὸν τι ἂν οὗτοι καθ' Ἡράκλειτον ἂν ἡγοῖντο τὰ ὄντα ἰέναι τε πάντα, καὶ μένειν οὐδέν. Τὸ οὖν αἴτιον καὶ ἀρχηγὸν αὐτῶν εἶναι τὸ ὠθοῦν· ὅθεν δὴ καλῶς ἔχειν αὐτὸ ὠσίαν ὀνομάσθαι. *Qui essentiam* ὠσίαν *dixerunt, fortasse de Heracliti sententia existimarunt, res omnes fluere, et nihil consistere, causam igitur et primariam principemque vim ipsarum rerum esse* τὸ ὠθοῦν, *impulsionem, sive motum, unde et praeclare ita,* ὠσίαν *vocarunt.* Et post pauca *p.* 402. Rheæ etymologiam expliciturus pergit: Λέγει που Ἡράκλειτος, ὅτι πάντα χωρεῖ, καὶ οὐδὲν μένει, καὶ ποταμοῦ ῥοῇ ἀπεικάζων τὰ ὄντα, λέγει, ὡς δὶς ἐς τὸν αὐτὸν ποταμὸν οὐκ ἂν ἐμβαίης. *Ait Heraclitus, omnia varie fluere, neque quicquam manere, rerumque naturam fluvii fluxu sive fluento, quasi imagine quadam et similitudine repraesentare instituens, his verbis utitur: Non fieri potest, ut eundem fluvium bis adeas.*

adeas. Aſt in *Theæteto T. I. p.* 152. locus magis adhuc luculentus magisque notandus occurrit, ubi diſerte: Ὡς ἄρα ἓν μὲν αὐτὸ καθ᾽ αὑτὸ ὐδέν ἐςι - - ἐκ δὲ δὴ φορᾶς τε καὶ κινήσεως καὶ κράσεως πρὸς ἄλληλα γίγνεται πάντα, ἃ δή φαμὲν ἔιναι, ὐκ ὀρθῶς προσαγωρεύοντες· ἐςὶ μὲν γὰρ ὀυδέποτ᾽ ὐδὲν, ἀεὶ δὲ γίγνεται. *Vnum quippiam ex ſe ipſo nihil eſt - - ex latione, et motione, et mixtione inter ſe omnia fiunt, quæ exiſtere affirmamus, non recto quidem vocabuli uſu. Nihil enim unquam eſt, ſemper vero fit.* Quibus verbis omnino omnes ſubſtantiæ formæque proſcribuntur. In ſequentibus vero verbis hanc ſententiam omnibus Sapientibus, præter Parmenidem, videlicet Protagoræ, Heraclito, Empedocli, et Poëtis Epicharmo atque Homero adſcribit, id quod ad cognoſcendam vetuſtiſſimorum Philoſophorum circa hanc rem ſententiam probe tenendum. Clara hæc Platonis teſtimonia, cum iis, quæ ſuperius *§. 2. not. c.* ex Ariſtotele addu-

adducta sunt, sufficere possent, ad confirmanda ea, quæ diximus. Verum ut firmiori cuncta nitantur talo, et pluribus testibus major adhibeatur fides, unum alterumque adjicere placet. CICERO *Academic. Quæst. l. I. n.* 31. de prima Academia: *Sensus omnes hebetes et tardos esse arbitrantur, nec percipere ullo modo res eas, quæ subjectæ sensibus viderentur, quæ essent aut ita parvæ, ut sub sensum cadere non possent, aut ita mobiles et concitatæ, ut nihil unquam unum esset constans, ne idem quidem, quia continenter laberentur et fluerent omnia. Scientiam autem nusquam esse censebant, nisi in animi notionibus.* Ubi per res ita parvas, ut oculorum aciem effugiant, sine dubio ψηγμάτια Heracliti, sive atomos Democriti et Epicuri intelligit, quæ subtilissima et non conspicua corpuscula sunt, ex quorum commixtione, accretione et decessu perpetuo res conspicuæ compositæ fluunt, nec eandem unquam naturam servant, eademque quasi uno momento

sunt,

ſunt; id quod EPICHARMVS et SENECA eleganter expreſſerunt. Illius enim verſus ſervavit nobis DIOG. LAERT. *l. III. ſegm.* 11. hujus ſententiæ:

Ἐν μεταλλαγᾷ δὲ πάντες ἐντὶ πάντα
τὸν χρόνον.
Ὁ δὲ μεταλλάσσει κατὰ φύσιν, κοὐ οὔ-
ποκ᾽ ἐν ταὐτῷ μένει.
Ἀλλὰ ἕτερον εἴη κ᾽ αὐτὸ δὴ τοῦ παρε-
στακότος.
Καὶ τὺ δὴ κἀγὼ χθὲς ἄλλοι, κοὐ νῦν
ἄλλοι τελέθομες,
Κᾆυθις ἄλλοι, κοὐ οὔπω χ᾽ αὐτοὶ κατ-
τὸν λόγον.

In mutatione omnes (homines) *ſunt
per omne tempus,*
*Quod autem mutatur ſecundum na-
turam, nec in eodem ſtatu un-
quam perſiſtit,*
*Diverſum et ipſum erit ab eo, a quo
diſceſſit.*

Quin

Quin tu quoque, et ego heri alii eramus, et nunc alii existimus,
Rursusque alii erimus, et nunquam iidem manemus ex eadem ratione.

Hic vero *Ep.* 58. *Tom. II. Opp. p.* 204. *Quaecunque videmus ac tangimus, fluunt, et in assidua diminutione atque adjectione sunt. Nemo nostrum idem est in senectute, qui fuit juvenis, nemo est mane, qui fuit pridie. Corpora nostra rapiuntur fluminum more; quicquid vides, currit cum tempore, nihil ex his, quae videmus, manet. Ego ipse, dum loquor, mutari ista, mutatus sum. Hoc est, quod ait Heraclitus: in idem flumen bis non descendimus: manet idem fluminis nomen, aqua transmissa est.* Plura, ne tædium creemus lectori, addere animus non eſt, collecta ea diligenter ſunt a MENAGIO ad LAERT. *l. c. p.* 397. ſeqq. quibus add. LAERT. *l. IX. c.* 8. PLVTARCH. *de placitis Philoſ. l.* 1. *c.* 23. AVCTOR *Philoſophum. Orig. c. IV. p.* 54. quæ ex Ari-

Aristotele ALDOBRANDINVS ad *l. c. Laërt.* notavit, et OLEARIVS *l. c. §. p.* 842. Ratio vero hujus hypothesis inde derivanda est; quod Heraclitus tanquam prima principia posuit ψηγμάτια ἐλάχιστα καὶ ἀμερῆ, per quas minimas naturas eum idem intellexisse, quod Epicurus atomos vocat, evictum dedit laudatus OLEARIVS *l. c.* Iis vero igneam naturam propter perpetuum motum adscripsit, et varia eorum motione omnia componi et mutari voluit; sic ut æterna illa corpuscula æternam, quæ vero ex iis componuntur interitura et dissolvenda, tandem desituram variationem et motionem habeant: Vnde PLVTARCHVS *l. c.* refert: Ἡράκλειτος ἠρεμίαν μὲν καὶ στάσιν ἐκ τῶν ὅλων ἀνήρει· ἐστὶ γὰρ τοῦτο τῶν νεκρῶν· κίνησιν δὲ ἀΐδιον μὲν τοῖς ἀϊδίοις, φθαρτὴν δὲ τοῖς φθαρτοῖς. *Heraclitus quietem ac consistentiam ex universis naturis tollebat, ut quæ mortuorum essent. Motum vero dabat æternum quidem æternis, interiturum vero interituris.* Huic igitur Heracliti aliorum-

 que

que ſententiæ ex parte quidem adhæſit Plato, ut ex ARISTOTELIS *Metaphyſ. l. XIII. c.* 4. et SENECAE *Ep.* 58. manifeſtum eſt, ut vero locum ſcientiæ daret, adjunxit quoque æternas ſuas ideas et per ſe ſubſiſtentes eſſentias, hoc ipſo a fluentibus ſive fluitivis illis Philoſophis, quo nomine eos in Theæt. ſalutat, diſtinguendus.

(*d*) vid. *ſupra §. II. not.* (*c.*)

(*e*) vid. *ſupra §. V. not.* (*f.*)

(*f*) Ariſtotelem doctrinam de ideis inſuper habuiſſe, eique contradixiſſe, quin haud exiguam ei abſurditatem tribuiſſe, luculenta loquuntur Philoſophi teſtimonia. *Metaphyſ. l. I. c.* 7. enim, poſtquam multa contra ideas ſeparatim exiſtentes diſputarat, ſubjungit: Τὸ λέγειν παραδείγματα αὐτὰ εἶναι, καὶ μετέχειν αὐτῶν τἄλλα, κενολογεῖν ἐστι καὶ μεταφορὰς λέγειν ποιητικάς· τί γάρ ἐστι τὸ ἐργαζόμενον πρὸς τὰς ἰδέας ἀποβλέπον; *Dicere*

cere vero eas esse exemplaria, et cetera eis participare, vaniloquia et metaphoras poëticas dicere est. Quid enim est, quod agit, ad ideas respiciens? Quæ latius quoque in sequentibus persequitur, et rationibus communit. Et *Analyt. poster. l. I. c.* 19. Τὰ, inquit, εἴδη χαιρέτω· τερετίσματα γάρ ἐςι. *Ideas hic valere jubeamus, nihil enim quam nugæ, et inanes quasi cantiones sunt.* Alia loca lubentes præterimus. Ex ipsis vero Platonicis Atticus imprimis apud EVSEBIVM *de præparat. Evang. l. XV. c.* 13. *p.* 815. gravi oratione invehitur in Aristotelem, quod cardinem caputque Philosophiæ Platonicæ rejecerit, atque probris affecerit. Ait enim: Ἡ περὶ τῶν νοητῶν διάταξις ἠτίμασαι καὶ προπεπηλάκισαι καὶ παντόιως, τόγε ἐξὸν ἐπ᾽ Ἀριςοτέλει, περιύβρισαι - - κανόνι θ᾽ αὐτῷ καὶ κριτῇ τῶν ὑπὲρ αὐτὸν χρησάμενος, ἀπέγνω τινὰς εἶναι ἰδίας Φύσεις, ὅιας Πλάτων ἔγνω, λήρυς τε καὶ τερετίσματα καὶ Φλυαρίας ἐτόλμησεν εἰπεῖν τὰ τῶν ὄντων ἀνώτατα.

Rerum sola mente perceptarum, id est, intelligibilium, *doctrina, quantum in Aristotele fuit, illusa, conculcata, probrisque omnibus jactata est. - - se ipso, quodam quasi rerum illarum captu suo longe superiorum canone arbitroque usus, peculiares illas, cujusmodi Plato agnoverat, naturas valere jussit, illaque omnium altissima nugas insulsasque cantilenas et circulatorum fabulas appellare ausus est.* Consentit CICERO *Acad. Quaest. l. I. n.* 24. *Aristoteles*, inquit, *primus species, quas paulo ante dixi, labefactavit, quas mirifice erat amplexatus Plato, ut in his quiddam divinum diceret.* Quibus ea tandem addenda sunt, quae apud ORIGINEM *contra Celsum l. II.* occurrunt his verbis: Ἐπὶ φιλοσοφίαν προβάλλεται ὁ Κέλσος, πυθοίμεθ' ἂν αὐτοῦ, εἴτι ἄρα Πλάτωνος ἦν κατηγορία, τὸ μετὰ εἴκοσιν ἔτη τῆς παρ' αὐτῷ ἀκροάσεως ἀποφοιτήσαντα τὸν Ἀριστοτέλη, κατηγορηκέναι μὲν τοῦ περὶ τῆς ἀθανασίας τῆς ψυχῆς λόγου, Πλάτωνος δὲ τερετίσματα τὰς ἰδέας ὠνομακέναι. *Quoniam*

niam pro Philoſopho vult haberi Celſus, interrogemus eum, num Platonis erat crimen, quod vigeſimo anno, poſtquam eum audire cœperat Ariſtoteles, a præceptore deſciſcens, accuſavit ipſius doctrinam de immortalitate animæ, et ideas Platonis argutationes nominavit. Conf. NVNNESIVS *ad Vit. Ariſtot. p.* 67. Quæ loca ut ſatis clara ſunt, ita evincunt id præcipue; Ariſtotelem ab ipſo Præceptore, non ſolum a diſcipulis diſſenſiſſe, et Platonicam de ideis ſeorſim exiſtentibus ſententiam tanquam abſurdam, inanem, nugacemque habuiſſe, id quod omnes Philoſophos hos conciliantium conatus deſtruit.

(*g*) Etſi ſatis notum eſt, Ariſtotelem a magiſtro ſæpius diſſenſiſſe, eumque aliquando e ſchola diſputando tantum non penitus ejeciſſe, cujus rei hiſtoria videri poteſt apud AELIANVM *Variar. Hiſtor. l. III. c.* 19. *p.* 76. ſeqq. Ed. Scheff. multi tamen diverſis tem-

poribus inventi ſunt, qui quovis conamine Ariſtotelem cum Platone conciliare ſunt aggreſſi, et ea, quæ contra ideas dixerat, vel modo proponendi, dictionique poëticæ, vel diſcipulorum obſcuritati falſæque magiſtri verborum expoſitioni dicta eſſe contenderunt. Inter veteres enim Colotes Epicureus ridetur a Plutarcho, quod Ariſtotelem atque Theophraſtum idem putaret ſentire de ideis ac Platonem. Porphyrius quoque teſte SVIDA librum ſcripſerat περὶ τοῦ μίαν εἶναι τὴν Πλάτωνος καὶ Ἀριστοτέλους αἵρεσιν, *de eo, quod ſecta Platonica et Ariſtotelica conveniant*; quam quoque ſententiam fovet AMMONIVS *ad Ariſtotelis categorias* et AVCTOR *Vitæ Ariſtotelis*, qui diſerte, οὐχ᾽ ἁπλῶς ἀντιλέγει τῷ Πλάτωνι, ἀλλὰ τοῖς μὴ νοήσασι τὰ τοῦ Πλάτωνος, *non ſimpliciter Platoni contradicit, ſed iis, qui dicta ejus minus recte intellexerunt.* Paria habet IO. PICVS MIRANDVL. *Opp. Tom. I. p.* 83. ſeqq. qui non erubeſcit aſſerere: *Nullum eſt quæſitum naturale et divinum, in quo Ariſto-*

Aristoteles et Plato sensu et re non conveniant, quamvis verbis dissentire videantur. Quin concordiam utriusque sectæ in omni doctrinæ parte promisit, sed morte præventus non explevit Boëthius. vid. IAC. THOMAS. *de Secta Nominal. Orat. XIII. p. 253.* qui observat, fuisse aliquando seculum, quo hæc sententia unanimi ore fuerit recepta, seculum scilicet decimum quintum, et ubi non inter minimos fuit Cardinalis Bessario. Vid. IAC. THOMASIVS *Diss. de Syncretismo Peripatetico; Obs. Halens. T. III. Diss.* 14. *§.* 3. seqq. et Cel. FABRICIVS *Biblioth. Græca l. III. c.* 1. *§.* 8. *p.* 37. add. MORHOF. *Pol. lit. T. II. P. I. c.* 11. *§.* 2. *p.* 206. Cl. HEVMANNVS *Act. Philos. P. XI. Vol. II. p.* 568. et quos hic præter nominatos laudat. Ast omnes illos frustra esse, ea, quæ jam adducta sunt, satis dant evicta. Nec ratio patet, cur Aristoteles in Physiologia ad mentem Platonis ideas adhibere potuerit, etsi vulgo id persuasum est, cum æternitati mun-

di, quam ſequitur Ariſtoteles, e diametro repugnent, ut accurate judicat NVNNESIVS *Orat. de obſcurit. Ariſtotel. p.* 135. Eam vero Philoſophum ſtatuiſſe ex *libro I. de cœlo c.* 10. LACTANT *l. VII. c.* 1. CICERONE in *Lucullo* aliisque evidens eſt, ex quibus eruditiſſime id probavit IAC. THOMASIVS *de exuſtione mundi Stoica Diſſ. IV. p.* 58. ſeqq. Aſt cui uſui inſervient ideæ exemplares, ubi mundus æternus, et DEus quadam neceſſitate operoſus introducitur.

§. IX.

Non tamen omnes rerum ſenſibilium formas rejecit Ariſtoteles, ſed eas materiæ immerſas, et cum illa conjunctas eſſe tradidit. Vnde formarum quidem conſiderationem ex Philoſophia non proſcripſit (*h*), reminiſcentiam tamen omnem exagitavit, cum nuda tabula animum comparans. (*i*) Circa ideas vero men-

mentales, notionesve et conceptus intellectus a Platone tradita auxit, et ita Philosophum veritatis indagandæ cupidum instruxit, ut summa rerum capita non ex earum natura, sed pro vario loquendi modo in certas classes divideret, ad terminorum potius vocumque, quam idearum cognitionem præparaturus. (*k*) Quam doctrinam a discipulis multum auctam et excultam (*l*) non sine gravi causa rejecerunt, (*m*) qui recentiori ætate idearum doctrinæ in Philosophia rationali lucem accenderunt, et ad nativam et ingenuam puritatem reduxerunt.

(*b*) Primum, quod asseruimus, satis manifeste tradit PLVTARCH. *de Placit. Philos. l. I. c.* 10. Postquam enim ideas ex mente Socratis et Platonis descripserat, per substantias a materia sejunctas, addit: Ἀριστοτέλης δὲ εἴδη μὲν ἀπέλιπε, καὶ ἰδέας οὐ μὴν κεχωρισμένας τῆς ὕλης, ὁ ἐξ ὧν γεγονὸς τὸ ὑπὸ τοῦ

I 5 Θεοῦ.

Θεȣ̃. *Ariſtoteles ſpecies quidem et ideas reliquit, ſed neutiquam a materia ſejunctas, quibus ea, quæ a DEO facta ſunt, conſtant.* Vnde et SIMPLICIVS celebris Peripateticus: Ὁ Ἀριϛοτέλης ἄλλο μὲν τὸ σύνθετον τὸ ἐξ ὕλης καὶ εἴδȣς εἶδεν, ἄλλο δὲ ὁ εἶδος αὐτὸ, *Ariſtotelem hoc non fugit, quod aliud ſit compoſitum ex materia et forma, aliud forma ipſa,* quæ ſcilicet ſeparatim abſtractione conſiderari poteſt, cum materia tamen conjuncta intrinſecus, rem id efficit quod eſt. Quare et Ariſtoteles non ad ſolam particularum diſpoſitionem motumque atomorum recurrit in naturalium doctrina, ut fecit ejus temporis corpuſcularis Philoſophia, ſed medium inter Platonem, univerſalia ſeparata aſſerentem, et Heracliteos Democritique ſequaces, nullas formas ejusmodi admittentes tenens, formas cauſis naturalibus immiſcuit, et inter principia rerum naturalium materiam et formam, ex quibus eſſentiæ rerum conſtarent, retulit, quarum illa quidem varie modifi-

care-

caretur, hæc vero ſemper maneret, naturamque et eſſentiam, qua talem, largiretur. Qua de re videri poſſunt, quæ *Phyſic. l. II. c.* 1. ſatis ſubtiliter diſputat, ubi inter alia: Ὥστε ἄλλον τρόπον ἡ φύσις ἂν εἴη τῶν ἐχόντων ἐν ἑαυτοῖς κινήσεως ἀρχὴν, ἡ μορφὴ καὶ τὸ εἶδος, οὐ χωριστὸν ὂν, ἀλλ᾽ ἢ κατὰ λόγον, τὸ δὲ ἐκ τούτων φύσις μὲν οὐκ, ἔστι, φύσει δέ. *Quare alio modo natura utique erit habentium in ſe ipſis motus principium, forma et ſpecies non ſeparabilis exiſtens, niſi ſecundum rationem, quod autem eſt ex his, natura quidem non eſt, ſed a natura.* c. III. vero explicatius differentiam inter materiam et formam ita tradit: Ἕνα μὲν οὖν τρόπον αἴτιον λέγεται, τὸ ἐξ οὗ γίνεταί τι ἐνυπάρχοντος, οἷον ὁ χαλκὸς τοῦ ἀνδριάντος, καὶ ὁ ἄργυρος τῆς φιάλης, καὶ τὰ τούτων γένη· ἄλλον δὲ τὸ εἶδος καὶ τὸ παράδειγμα· τοῦτο δ᾽ ἔστιν ὁ λόγος, ὁ τοῦ τί ἦν εἶναι, καὶ τὰ τούτων γένη. *Vno igitur modo cauſa dicitur, ex quo fit aliquid, cum inſit, ut æs ſtatuæ, et argentum phyalæ, et horum genera:*

Alio

Alio autem modo forma et exemplum; hæc autem est ratio ipsius, per quod quid debet esse, et hujus genera. Vbi formam voce quidem Platonica, non tamen sensu παράδειγμα vocat, unde et ejus circa illa exemplaria sententia, quæ materiæ immersa statuit, clare innotescit.

(*i*) Vtitur hoc simili ARISTOTELES *de anima l. III. c.* 4. ubi de natura intellectus modoque intelligendi agens, δεῖ, inquit, οὕτως, ὥσπερ ἐν γραμματείῳ, ᾧ μηδὲν ὑπάρχει ἐντελεχείᾳ γεγραμμένον, ὅπερ συμβαίνει ἐπὶ τοῦ νοῦ. *Oportet autem sic, ut in tabula, in qua nihil scriptum est actu, quod quidem accidit in ipso intellectu.* Etsi vero hæc verba sunt clarissima, et Aristotelicum a Platonis hypothesi dissensum profitentur apertissime, non defuerunt tamen malesani conciliatores Aristotelis cum Platone, qui, ut extorquerent, verbis tantum, non re ipsa dissensisse unum ab altero, varie hunc locum vexarunt.

IAM-

IAMBLICHVS enim apud THOMASIVM *loco citando* vocabulum unum arripiens, non frustra esse dixit, quod Aristoteles non χαρτίῳ sed γραμματείῳ similem intellectum dixerit, eum scilicet, cum γραμματεῖον sine literis concipi non possit; a quibus nomen habet, non negasse omnem naturalis cognitionis existentiam, sed claram tantum et legentibus statim obviam. Quae verborum cavillatio et inanes argutiae satis refutantur verbis Aristotelis, qui addidit, ἐν ᾧ μηδὲν ὑπάρχει ἐντελεχίᾳ γεγραμμένον. Speciosius BESSARIO Cardinalis, qui *contra calumniat. Platon. l. III. c.* 28. tabulam illam nudam non ad simpliciter esse intellectus refert, sed ad corporariam operationem, aut, quod accuratius putat, ad scientiae primae acquisitionem, per quietem et constantiam intellectus, quam Plato reminiscentiam vocat. Quae explicatio quam obscura sit, et quantas tenebras clarissimo Aristotelis loco obducat, vel a leviter intuentibus palpari potest. Sed viden-

videndus est præter CONIMBRICENSES in *Aristot. l. I. Poster. Analyt. c. I. p.* 415. 418. acutissimus IAC. THOMASIVS *dissert. varii argum. diss. II. p.* 11. seqq.

(*k*) Quid Aristoteles de prima, quam vocant, mentis operatione in Philosophia rationali docuerit, et quomodo simplicium notionum et conceptuum, vel potius terminorum apprehensionem distribuerit, res notior est, quam quæ multis debeat explicari, et tot libelli Logici istis cupediis turgent, ut nauseam excitent. Paucis hic notasse sufficit, Aristotelem, doctrinæ de syllogismo cuncta accommodaturum, id imprimis egisse, ut doceret, qua ratione idearum notiones sive termini possint prædicari. Quem in finem certos ordines excogitavit, ex natura indoleque Græci sermonis desumtos, quos ab usu fineque Categorias sive Prædicamenta vocavit, ut scilicet inde generales terminorum, quibus res denomi-

nominantur, claſſes cognoſci queant. Id quod nemo mirabitur, qui cogitaverit, Ariſtotelem', ut patrio genio ſe accommodaret, loquacique Græciæ gratam redderet ſuam philoſophandi rationem, eo quoque reſpexiſſe, ut de rebus in utramque partem copioſe et acute diſputare poſſint diſcipuli, in quem finem ſatius ei viſum eſt, certum dare vocabulorum tum temporis receptorum, et philoſophica methodo in artificiali ratiocinio diſponendorum catalogum, quam ſcrupuloſam ipſorum conceptuum explicationem, ſuis vix placituram. Hinc decem illa prædicamenta, ſubſtantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, paſſio, ubi, quando, ſitus, habitus, quæ in libro περὶ κατηγοριῶν *T. I. Opp.* latius et cum ſuis diſtinctionibus variaque σχέσει explicat. Præmittit quoque de ſynonymis, homonymis, analogis, paronymis aliqua, ad recte intelligendas voces unice comparata, ne ſenſus earum forte fallat, unde antiprædicamenta dicuntur, et

de

de quibusdam accidentium modis, contrariis, priori, ſimul, motu, habendique ratione poſt categorias agit, et propterea quoque poſtprædicamenta appellantur. Quæ omnia longe ſunt notiſſima, et uberiorem explicationem hic non patiuntur. Cæterum modo dicta ex plerisque prædicamentis poſſent probari, et oſtendi, verborum non idearum Ariſtotelem rationem habuiſſe, præcipue vero ex prædicamento τῦ ἔχειν, quod merum idiotiſmum Græcum ſapit, quando Ariſtoteles illud definit *T. I. Opp. p.* 39. Τὸ ἔχειν σημαίνει τὸ ὑποδεδέσθαι, τὸ ὡπλίσθαι. *Habere ſignificat veſtitum eſſe, armatum eſſe*; ſed ea longius nos ab inſtituto avocant, ſicco prætereunda pede.

(*l*) Doctrinam de Categoriis imprimis auxit PORPHYRIVS tractatione *de prædicabilibus ſive univerſalibus*, cujus de iis *iſagoge* Ariſtotelis operibus præmitti ſolet. Non tamen illa ignoravit Ariſtoteles, ſed ſine dubio aliquid quo-

quoque de iis tradidit, inter libros deperditos referendum. Nam et DIOG. LAERT. *l. V. ſegm.* 72. teſtatur, Ariſtotelem librum περὶ εἰδῶν καὶ γενῶν, *de ſpeciebus et generibus* ſcripſiſſe, et ipſe Ariſtoteles *Topic. l. I. c.* 7. *T. I. Opp. p. m.* 262. ex inſtituto eorum meminit. Capitis enim initio ſtatim: Ἤ τις, *ait*, ἐπισκοποίη ἑκάςην τῶν προτάσεων καὶ τῶν προβλημάτων, φαίνοιτ' ἂν, ἢ ἀπὸ τοῦ ὅρου, ἢ ἀπὸ τοῦ ἰδίου, ἢ ἀπὸ τοῦ γένους, ἢ ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος γεγενημένη. *Si quis unamquamque propoſitionem vel problema conſideret, apparebit, quod vel ex definitione, vel ex proprio, vel ex genere, vel ex accidente conſtet.* Et hanc quoque doctrinam præmitti jubet tractationi de categoriis, illique ſubjungi genera prædicamentorum. Quam ob rem non abſurde RAPINVS *comparaiſ. de Platon et d'Ariſtote T. I. Opp. p.* 339. *Gaſſendy n'auroit pas peut-eſtre trouvée la Logique d'Ariſtote imparfaite par le ſupplement de Porphyre, qu'il a crû neceſſaire, pour y ſervir d'introduction, s'il euſt*

fait reflexion, que ce traité, qui a esté mis a la teste de la Logique d'Aristote, est pris de sa Metaphysique, d'ou Porphyre l'a tiré (rectius ex loco Topic. citato desumtum dixeris) *et il y a apparence, que ce supplement eust esté inutile, s'il ne se fust rien perdu des livres de la Logique d'Aristote, dont Diogene Laërce fait mention.*

(*m*) Multa sunt, quæ in exposita Aristotelis doctrina desiderarunt eruditi, paucis hic indicanda et attendenda, in tanta rei claritate Rapino non audito, cui omnis Philosophia rationalis in tantum perfecta dicitur, in quantum cum Aristotelis Logica convenit *l. c. p.* 338. Quod enim ad doctrinam de universalibus attinet, eam ex Logica proscribit GOTT. GERH. TITIVS. in *arte cogit. c. XVIII.* §. 3. seq. *p.* 409. seq. ex ea potissimum ratione, quod rerum universalium relationes et respectus consideret, quod Ontologiæ munus est, quodque neque genuinus usus in-

dice-

dicetur, neque quæ in Logica et Metaphyſica diviſim traduntur, conjungantur, id quod diffiteri jam ſuo tempore nequivit IAC. THOMAS. in *Metaphiſ. circa fin.* et *c.* 25. Imprimis vero univerſalium numerum inepta diſtinctione laborare contendunt, cum diſtinctio inter eſſentiam et accidens omittatur, differentia vero et proprium inter ſe diſcernantur, quæ tamen ex diverſa tantum accidentis ad eſſentiam relatione inter ſe diſtincta ſunt. Quam in rem videndus ante alios purioris Philoſophiæ inter nos reſtaurator CHRIST. THOMASIVS *Introd. in Philoſ. aul. c. VII.* §. 44. Hiſce ſi addatur rei inutilitas a Cel. CLERICO *Log. P. I. c. VII.* §. 10. notata, deſinemus mirari, cur de his lautitiis non admodum curioſi ſint, qui de ideis in rationali Philoſophia hodie ſunt ſolliciti. Præterea prædicabilia ex hac quoque ratione exagitantur, quod falſo nituntur fundamento, eſſentias ſcilicet rerum no-

bis patere, ad quas, ex mente Aristotelis, omnes modos diversa relatione referri posse et prædicari dicendum est. Qua in re quam gravem errorem committat, ostensum a multis est, qui essentias rerum nos ignorare, et substantiarum quoque notitiam nos fugere evictum demonstratumque dederunt; vid. infra *Sect. III. §. 4. not. p.* Neque Categoriæ rigidius accurate philosophantium examen sustinuerunt, cum parum utiles, et ad rite formandum judicium adeo non prodesse audiant, ut etiam sæpissime noceant, apud AVCTOR. *artis cogit. P. I. c. III. p.* 18. neque id immerito; nam justæ divisionis leges in illarum classium dispositione læsas esse, fassi sunt, qui recentiorum obelos æquo expenderunt animo et antiquitatis præjudicio non impedito. Substantia enim, quæ tamen potissimum indaganda est, in genere tantum considerata, ad accidentium tractationem Aristotelem mox discedere, et ejus genere

re

re omiſſo, novem ejus claſſes enumerare, non quæ accidentium exhauriant numerum, ſed quæ pro linguæ Græcæ indole placuerint Philoſopho, adeoque quietem et alia, imprimis ſpirituum accidentia, ad nullam harum claſſium referenda deſiderari, notat CLERICVS *Logic. P. I. c. V. §. 15.* quocum conſentiunt TITIVS in *arte cogit. P. I. c. III. p.* 18. et Illuſtr. CHR. THOMASIVS *Introd. in Philoſ. aul. c. VII. §.* 25. qui entia tranſcendentalia et moralia in his quoque claſſibus omiſſa eſſe obſervat. His addita eſt totius doctrinæ inutilitas gravi caſtigatione animadverſa a Cel. NIC. HIER. GVNDLING. in *Via ad Verit. ration. c. V. §.* 10. *p.* 40. conf. CLERICVS *l. c. c. V. §.* 14. AVCTOR *artis cogit. P. I. c.* 3. *p.* 19. TITIVS *l. c. c. XVIII. §.* 18. *p.* 415. IO. FR. BVDDEVS *præf. ad art. cogit. p.* 6. CARTES. *diſſ. de methodo p.* 11. et in *epiſt. dedic. Princip. Philoſ.* CROVSAZ *Logique P. II. aliique.* Ex quibus breviſſimis jam allatis quo loco res ſe-

ſecundum recentiores habenda ſit, facile judicari poteſt.

§. X.

Cynici, ut Logicam et Phyſicam parum curarunt (*n*), ita etiam doctrinam de ideis inſuper habuerunt, ut a Diogene quoque rideretur. (*o*) Stoici vero, etſi ita ſubtiliter ſæpe de Logicis materiis diſputabant, ut paſſim notarentur (*p*), longius tamen, ac Ariſtoteles a Platone receſſerunt, et non tantum omnes ideas ſeorſim exiſtentes negarunt, verum etiam formas rebus immerſas rejicerunt, ideas nihil aliud eſſe contendentes, quam rerum in animo noſtro notiones, atque reſplendeſcentes et impreſſæ intelligentiæ imagines. Vnde eas pro entibus rationis, merisque mentis conceptibus habuerunt (*q*).

(*n*) Evi-

(*n*) Evidenter id afferit LAERTIVS *l. VI. fegm.* 103. Ἀρέσκει αὐτοῖς τὸν λογικὸν καὶ τὸν φυσικὸν τόπον περιαιρεῖν ἐμφερῶς Ἀρίστωνι τῷ Χίῳ· μόνῳ δὲ προσέχειν τῷ ἠθικῷ. *Placet illis*, (Cynicis) *rationalem naturalemque Philofophiam tolli oportere, ab Ariftone Chio non difcedentibus, moralique foli intendi.*

(*o*) Conftat hoc iterum LAERTII teftimonio, *l. c. fegm.* 53. Refert enim inter apophthegmata Diogenis Sinopenfis et hoc: Πλάτωνος περὶ ἰδεῶν διαλεγομένου, καὶ ὀνομάζοντος τραπεζότητα καὶ κυαθότητα, ἐγὼ, εἶπεν, ὦ Πλάτων, τράπεζαν μὲν καὶ κύαθον ὁρῶ, τραπεζότητα δὲ καὶ κυαθότητα οὐδαμῶς. *Platone de ideis differente, et nominante menfalitatem et cyathitatem, equidem inquit, o Plato, menfam et cyathum video, menfalitatem et cyathitatem non video.* Ad quem locum eruditiffimus MENAGIVS *p.* 245. notat: Ammonium ad Porphyrium hoc dictum Antistheni, qui Cynico-

rum auctor fuit, tribuere, his verbis: Ὁ Ἀντισθένης λέγεται, καὶ τὰ εἴδη ἐν ψιλαῖς ἐπινοίαις εἶναι, λέγων, ὅτι ἵππον μὲν ὁρῶ, ἱππότητα δὲ οὐχ ὁρῶ. *Antisthenes ait, etiam Species, sive ideas in nudis mentis conceptibus consistere, dicens: equum quidem video, equeitatem vero non video.* Et TZETZES quoque *Histor. Chil. VII.* 143.

Τῶν ἰδεῶν δὲ, λέγουσι, τρεῖς δόξας πεφυκέναι,
Ψιλὰς ἐννοίας γὰρ φησὶ ταύτας Ἀντισθένης,
Λέγων· βλέπω μὲν ἄνθρωπον, καὶ ἵππον δὲ ὁμοίως,
Ἱππότητα οὐ βλέπω δὲ, οὐδ' ἀνθρωπότητά γε.

De ideis vero tres dicunt sententias esse enatas,
Nudas enim cogitationes eas esse asserit Antisthenes,

Dicens

Dicens : video quidem hominem, et equum similiter,
Equeitatem vero non video, neque humanitatem.

Verum ſive Antiſthenes, ſive Diogenes, ſive (quod nobis maxime placet) uterque hoc dicto uſus ſit, ſatis jam probatum eſt, Cynicos ideas Platonicas riſiſſe, et in ſolis mentis cogitationibus exiſtentiam iis adſcripſiſſe.

(p) Vid. CICERO *Tuſcul. Quæſt. l. II. n.* 29. SENECA *de beneficiis l. I. c.* 4. *T. II. p.* 597. DIOGEN. LAERT. *l. VII. ſegm.* 15. et MENAGIVS *ad h. l.* SAM. WERENFELS. *de Logomach. erudit. c. II. Opp. p.* 461. ſeqq. IO. ALB. FABRIC. diſſ. *de cavillationibus Stoicorum ;* IO. ANDR. SCHMID. diſſ. *de Chryſippea brutorum Logica ;* ex quibus locis, ubi brevitas ſectanda eſt, non exſcribendis, dicta ſatis confirmari poſſunt.

(*q*) Stoicorum circa ideas mentis, sive ἐννοίας doctrina huc redit: A sensibus notiones rerum animo imprimi; hominem vero recens natum similem esse chartæ scriptoriæ puræ, in qua literæ sunt exarandæ. Primum ibi inscriptionis modum esse a sensibus, quorum objecto ablato memoriam tamen retinemus. Vbi vero plures hujus generis imagines et notiones colligantur, experientiam id dici. Notiones porro duplicis esse generis, vel naturales, quæ dicto modo gignantur, vel artificiales, quæ solo notionum nomine veniunt, ut illæ anticipationum quoque appellatione gaudent. Νόημα vero, sive conceptionem mentis esse visum intelligentis facultatis in animali ratione prædito, soli scilicet homini, et Diis obveniens. Visa vero esse secundum genus, secundum speciem vero esse mentis conceptiones. Colliguntur hæc, quæ de sententia Stoicorum adducta sunt, partim ex CICERONE *Acad. Quæst. l. I. n.*40. partim PLVTARCHO de-

debentur, qui *de placitis philos. l. IV. c.* 11. ad quæst. Πῶς γίνεται ἡ αἴσθησις, καὶ ἡ ἔννοια, καὶ ὁ κατὰ διάθεσιν λόγος; *Quonam modo fiat sensus et prænotio seu anticipatio et rationis habitus?* pleraque ea tradit. Locus quidem aliquantum prolixus est, luculentus tamen, adeoque hic locum omnino invenire debet. Ita vero Philosophorum sententiæ peritissimus scriptor: Οἱ Στωϊκοὶ φασὶν, ὅταν γεννηθῇ ὁ ἄνθρωπος, ἔχει τὸ ἡγεμονικὸν μέρος τῆς ψυχῆς, ὥσπερ χάρτης ἐνεργῶν εἰς ἀπογραφὴν, εἰς τούτων μίαν ἑκάστην τῶν ἐννιῶν ἐναπογράφεσθαι. Πρῶτος δὲ ὁ τῆς ἀναγραφῆς τρόπος, ὁ διὰ τῶν αἰσθήσεων· αἰσθανόμενοι γάρ τινες, οἷον λευκοῦ, ἀπελθόντος, αὐτοῦ μνήμην ἔχουσιν· ὅταν δὲ ὁμοειδεῖς πολλαὶ μνῆμαι γένωνται, τότε φασὶν ἔχειν ἐμπειρίαν, ἐμπειρία γὰρ ἐστὶ τὸ τῶν ὁμοειδῶν πλῆθος· τῶν δὲ ἐννοιῶν αἱ μὲν φυσικαὶ γίνονται, κατὰ τοὺς εἰρημένους τρόπους, καὶ ἀνεπιτεχνήτως, αἱ δὲ ἤδη τῆς ἡμετέρας διδασκαλίας καὶ συμμελείας, αὗται μὲν ἔννοιαι καλοῦνται μόναι, ἐκεῖναι δὲ καὶ προλήψεις - - ἐστί δὲ νόημα φάντασμα

τασμα διανόιας λογικȣ̃ ζώȣ. τὸ γὰρ φάντασμα ἐπειδὰν λογικῇ προσπίπτῃ ψυχῇ τότε ἐννόημα καλεῖται, ἐιληφὸς τȣ̈́νομα παρὰ τὸν νȣ̃ν, διόπερ τοῖς ἄλλοις ζώοις ȣ̓ προσπίπτει φαντάσματα, ὅσα δὲ καὶ τοῖς Θεοῖς καὶ ἡμῖνγε ταῦτα φαντάσματα μόνον ἐςί. ὅσα δὲ ἡμῖν, ταῦτα δὲ φαντάσματα κατὰ γένος, καὶ ἐννοήματα κατὰ ἐῖδος.

Quæ ita transtulit GVIL. BVDAEVS: *Stoici, cum homo natus eſt, inquiunt, principem habet animæ partem, vicem implentem membranæ ſcriptoriæ. Etenim in ea ſingulas notiones annotat; et tanquam literis mandat. Primum annotandi genus eſt, quod per ſenſus fit. Qui enim cujusvis rei ſenſum apprehenderunt, verbi gratia, candidi, abeunte confeſtim eo, memoriam ejus habent. Vbi autem ejusdem generis complures factæ ſunt memoriæ, tum uſum* (experientiam) *habere dicunt. Vſus enim et experimentum multitudo eſt ejusdem generis ſenſuum. At vero notionum naturales quidem prædictis modis fiunt, citra ullum artis adminiculum, alteræ autem, jam diſciplina curaque adhibitis.*

Cæte-

Cæterum hæ notiones modo vocantur, illæ vero prænotiones quoque. - - Porro conceptus mentis visum est cognitionis animalis rationabilis, nam visum, cum anima appellatur rationabilis, tum demum sensum vocatur, a mente nomen Græce denominatum. Proinde cæteris omnino animantibus hujusmodi visa non accidunt, cujusmodi certe Diis nobisque adeo accidunt, illaque visa tantum sunt, non sensa. Quæ vero nobis accidunt, genere quidem visa sunt, specie autem sensa. Ex luculenta hac doctrinæ Stoicæ de conceptibus mentis sive sensis et prænotionibus explicatione clare jam probari potest, eos ideas nihil nisi mentis nostræ imagines esse, statuisse, ἰδέα enim, et νόημα sive ἔννοια iis synonyma sunt. Quod iterum testatur PLVT. *l.c. l.I. c.*10. ubi, expositis Socratis et Aristotelis de ideis sententiis, addit: Οἱ ἀπὸ Ζήνωνος Στωϊκοὶ, ἐννοήματα τὰ ἡμέτερα τὰς ἰδέας ἔφασαν. *A Zenone orti Stoici conceptus mentis nostræ ideas vocarunt.* Et hæc quoque causa est, cur eos ἔτινα, v. g.

ἔτινα

ὄτινα ἄνθρωπον hominem in abstracto vel in genere appellaverint, ratione denominationis a natura idearum desumta, quæ ipsis ens modo rationis, merusque mentis conceptus sunt. Separarunt tamen ab his ideis voces et terminos, sive idearum nomina. Conf. MVRET. *ad Nicom. p.* 85. IAC. THOMAS. *de Secta Nominal. Orat. XII. p.* 251. seq.

§. XI.

Tandem et Epicurus audiendus est. Scepticos enim, aliarum tantum sectarum dogmata evertere conatos, nihil vero ipsos statuentes (*r*) non moramur. Epicurus autem in Physica quidem omnes formas substantiasque reliquit, et ex vario atomorum concursu et aggestione res constare docuit (*s*); in Logica vero, etsi illam prorsus contemnere, nullamque habere sive profiteri accusabatur (*t*), ideas sensuum operatio-

rationibus adſcripſit, easque fundamentum omnis ratiocinationis, et criterium veritatis eſſe voluit, anticipationis vocabulo de iis plerumque uſus (*u*).

(*r*) Nota hæc ſunt, et ex ſectæ nomine jam pateſcunt, et paſſim videri poſſunt apud eos, qui Scepticorum placita enarrarunt, præcipue apud Sextum Empiricum. Vnico teſtimonio opus erit, ne hic quoque abeamus ἀσύμβολοι. Ita vero DIOG. LAERT. *l. IX. ſegm.* 74. Διετέλουν οἱ Σκεπτικοὶ τὰ τῶν αἱρέσεων δόγματα πάντα ἀνατρέποντες, αὐτοὶ δὲ οὐδὲν ἀποφαίνοντες δογματικῶς, ἕως δὲ τοῦ προφέρεσθαι τὰ τῶν ἄλλων, καὶ διηγεῖσθαι, μηδὲν ὁρίζοντες, μηδ' αὐτὸ τοῦτο. *Sceptici ſectarum omnium dogmata evertere perſtabant, nihil ipſi dogmatis aſſerentes, atque cæterorum tantum enuntianda dogmata atque enarranda proponentes, nihil definiendo, neque hoc ipſum* (nihil definio). Nemo igitur poſtulabit, ut ſententiam eorum referamus, qui nullam ſe habere fatentur.

Et

Et cum ſenſibus omnem fere denegaverint fidem, facilis conjectura eſt, eos quoque certas et cum objectis convenientes ideas negaviſſe, multo magis vero æternas rerum formas et ſubſtantias. Hic enim Heracliteam ſententiam profeſſi aſſerebant: Ῥευστὴν εἶναι τὴν ὀυσίαν πᾶσαν καὶ μεταβλητὴν, καὶ μηδέποτε ἐν τῷ αὐτῷ μένειν. *Fluidam eſſe materiam* (eſſentiam) *omnem et mutabilem, et nunquam eodem manere loco*, quæ verba ſunt AVCTORIS *Philoſoph. Origenis c. XXIII. p.* 155. ſeqq. conf. CICERO *loco ſupra §. VII. not. b. citato*, ubi ideæ ex mente hujus generis hominum in ſolis animi notionibus ponuntur.

(s) Atomis enim, eorumque vario motui, diſpoſitioni, et conjunctioni ſive aggeſtioni cuncta adſcripſit Epicurus, et *unumquodque corpus gigni ſtatuit ex ſola materiæ ſive principiorum materialium, ſubſtantialiumque certo ordine, poſituque et coaleſcentium aggerie; ideo quod concretum eſt genitumve, intelligitur*

tur nihil aliud, quam ipsamet principia quatenus certa hac ratione sive positura coalita sunt, ac proinde certa hac forma seu qualitate exhibentur; verba sunt viri de Epicurea Philosophia omnium maxime meriti PETRI GASSENDI in *Syntagm. Philos. Epic. P. I. Sect. I. c.* 18. *p. m.* 251. seqq.

(*t*) Fecit hoc CICERO, *libro I.* enim *de finibus n.* 26. ait, *differendi artem nullam habuit Epicurus.* Clarius vero *n.* 22. *In altera Philosophiæ parte, quæ est quærendi ac differendi, quæ λογικὴ dicitur, iste vester* (Epicurus) *plane, ut mihi quidem videtur, inermis ac nudus est; tollit definitiones, nihil de dividendo ac partiendo docet; non quomodo efficiatur, concludaturque ratio, tradit; non qua via captiosa solvantur, ambigua distinguantur, ostendit. Indicia rerum in sensibus ponit; quibus si semel aliquid falsi pro vero probatum sit, sublatum esse omne judicium veri et falsi putat.* Plurá ejus loca collegit GASSENDVS *de vita et*

moribus Epicuri l. VII. c. 4. p. m. 145. seq. Quo et LAERTII verba *l. X. segm. 31.* pertinent, narrantis: Τὴν διαλεκτικὴν ὡς παρέλκουσαν ἀποδοκιμάζουσιν (Ἐπικούρειοι) ἀρκεῖν γὰρ τοὺς φυσικοὺς χωρεῖν κατὰ τοὺς τῶν πραγμάτων φθόγγους. *Dialecticam, ut supervacaneam repudiant,* (Epicurei) *quippe rerum vocabulis in tractanda Philosophia contentos esse posse physicos.* Quod si tamen recte cuncta æstimentur, Epicurus non tam ipsam Logicam rejecit, cujus præstantissimam partem, quæ de certis veritatis cognoscendæ criteriis agit, satis accurate tradidit, unde LAERTIVS verbis adductis subjungit: Ἐν τῷ Κανόνι λέγει Ἐπίκουρος, κριτήρια τῆς ἀληθείας εἶναι τὰς αἰσθήσεις, καὶ τὰς προλήψεις, καὶ τὰ πάθη, *Ait Epicurus in canone, veritatem judicandi instrumenta sensus esse, et anticipationes et affectus:* sed corruptam et ad verborum cavillationes et inanes subtilitatum nugas næniasque totam declinantem Stoicorum Dialecticam repudiavit. Quod diserte

diserte tradit SEXTUS EMPIRICUS *contra Mathemat. p.* 140. Τῶν διμερῆ τὴν φιλοσοφίαν ὑποστησαμένων Ξενοφάνης μὲν ὁ Κολοφώνιος τὸ φυσικὸν ἅμα καὶ λογικὸν, ὥς φασί τινες, μετήρχετο. Ἀρχέλαος δὲ ὁ Ἀθηναῖος τὸ φυσικὸν καὶ τὸ ἠθικὸν, μεθ᾽ οὗ τινες καὶ τὸν Ἐπίκουρον τάττουσιν, ὡς καὶ τὴν λογικὴν θεωρίαν ἐκβαλόντα· Ἄλλοι δὲ ἦσαν, οἱ φασὶ, μὴ κοινῶς αὐτὸν τὴν λογικὴν παρῃτῆσθαι, μόνην δὲ τὴν τῶν Στωϊκῶν, ὥστε δυνάμει τριμερῆ πάλιν ἀπολείπειν τὴν φιλοσοφίαν. *Ex iis, qui statuerunt, Philosophiam habere duas partes, Xenophanes quidem Colophonius persecutus est, ut ajunt nonnulli, naturalem simul partem et logicam. Archelaus autem Athheniensis, et naturalem et moralem; cum quo ponunt etiam nonnulli Epicurum, ut qui logicam expelleret contemplationem. Alii autem fuerunt, qui dicebant, non eum communiter recusare Logicam, sed solum Logicam Stoicorum; adeo ut potestate relinquat tres partes habere Philosophiam.* Eandem in sententiam digitum quoque

intendisse videtur HIERONYMUS, qui *adversus Rufinum*, *quoniam*, scribit, *Stoici Dialecticam sibi vendicant, et tu hujus sententiæ deliramenta contemnis, Epicureus es.* Verum conferendus est GASSENDUS *l. c. c.* 10. *p.* 163. 164. et quæ ex ipso CICERONE *l. II. de Divin.* et A. GELLIO *Noct. attic. l. II. c.* 8. in Epicuri defensionem observat.

(*u*) Quæ Epicurus de criteriis veritatis ex idearum clara certaque perceptione desumendis statuerit, ex Canonica ejus disci debet, quam accurate explicuit laudatus GASSENDUS in *Syntagm. Philos. Epicur. P. I. c.* 2. seqq. *p. m.* 9. seqq. quæ quoque in systema suum *Historiæ Philosophicæ* transtulit THOM. STANLEIUS *P. XII. p.* 952. seqq. Nos ex tota illa doctrina ea tantum in præsenti decerpimus, quæ ad tractandam materiam requiruntur, et ad eam illustrandam faciunt. Est vero primus, qui huc pertinet, Canon: *Omnis quæ in mente est anticipatio seu præno-*

prænotio dependet a ſenſibus, idque vel incurſione, vel proportione, vel ſimilitudine, vel compoſitione. vid. GASSEND. *l. c. c.* 2. *p.* 17. Formari ſcilicet putat anticipationem, notionem, ſive ideam dictis modis in animo, quando vel incidit in ſenſum, ut ſunt omnes ideæ rerum, quæ coram ſpectantur; vel proportione gignitur, ſi idea antea formata amplificatur, vel diminuitur, ſervatis partium numero, ſitu et figura; vel ſimilitudine concipitur, ubi rei antea per ſenſus conceptæ ſimilem in animo fingimus; vel compoſitione denique efformatur, quando ex pluribus ideis in ſenſus prius incurrentibus idea ſive notio alia componitur. Ipſe canon ita exprimitur a LAERTIO *l. X. ſegm.* 32. Καὶ γὰρ καὶ ἐπίνοιαι πᾶσαι ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων γεγόνασι κατά τε περίπτωσιν, καὶ ἀναλογίαν, καὶ ὁμοιότητά, καὶ σύνθεσιν συμβαλλομένȣ τι κατὰ τȣ̃ λογισμȣ̃. *Nam et mentis attentiones omnes a ſenſibus manant, et ſecundum incidentiam, et ſecundum proportionem, et ſimilitudinem, et compoſitionem, cooperante etiam*

iam aliquid ratione ipſa. Canon ſecundus hæc habet: *Anticipatio eſt ipſa rei notio, et quaſi definitio, ſine qua quidquam quaerere, dubitare, opinari, imo et nominare non licet.* Clarius hic explicando quid anticipatio ſit, comprehenſionem animi illam vult eſſe, opinionemve quandam congruam, ſive intelligentiam menti defixam exiſtentemque quaſi ideæ memoriam earum rerum, quas extrorſum exiſtentes percepimus. Ejusmodi idea fundamentum debet eſſe omnis cogitationis, definitionis et orationis. Quoties enim rem definire vel deſcribere animus eſt, toties ad illam, quam anticipavimus et prius cognovimus percepimusve, repetitis quoque actibus ſæpius recurrentem collegimus ideam omnia exigere et communem illam notionem tanquam normam adhibere neceſſe eſt. Vid. GASSEND. *l. c. p.* 18. Canonem ipſum iterum ſic extulit LAERTIVS *l. c. ſegm.* 33. Τὴν πρόληψιν λέγουσιν οἱονεὶ κατάληψιν ἢ δόξαν ὀρθὴν, ἢ ἔννοιαν, ἢ καθολικὴν νόησιν ἐναπο-

ἐναποκειμένην, τουτέςι μνήμην τοῦ πολλάκις ἔξοθεν φανέντος. *Anticipationem dicunt veluti comprehenſionem, ſeu opinionem rectam, ſive cogitationem, ſive univerſalem intelligentiam inſitam, hoc eſt, memoriam ejus rei, quæ ſæpe extrinſecus apparuit.* Quæ poſtea ſequuntur, canonem ſatis luculenter explicant, digna, quæ conferantur. Tertius canon hiſce continetur: *Eſt anticipatio in omni ratiocinatione principium; quaſi nempe id, ad quod attendentes inferimus, unum eſſe, idem, aut diverſum, conjunctum, aut disjunctum ab alio.* Quo canone id innuitur, eſſe ideam aliquam evidentem claramque, ad quam in ratiocinando attendimus, et ad quam cogitationem noſtram ita referimus, ut de eo, quod cognoſcimus, judicare poſſimus, num illud ſit, nec ne, num cohæreat, vel diſſideat, ratione ſcilicet inita pro convenientia rei, quam percipimus, cum anticipatione, vel idea illa, quam de re antea concepimus. Huc pertinent illa LAERTII verba *l. c.* Ἐναργεῖς εἰσὶν αἱ

αἱ προλήψεις· καὶ τὸ δοξαςὸν ἀπὸ τοῦ προτέρου τινὸς ἐναργοῦς ἤρτηται· ἐφ᾽ ὃ ἀναφέροντες λέγομεν; ὃιον, πόθεν ἴσμεν εἰ τοῦτο ἐςὶν ἄνθρωπος; *Evidentes ſunt anticipationes. Præterea, quod opinabile eſt, a priore evidente aliquo pendet, ad quod illud dicendo referimus, quod opinamur. Vt, unde novimus, an ſit iſtud homo nec ne?* conf. infra *ſegm.* 38. Et hæc quidem de ideis ſive prænotionibus et ἐννόιαις, quatenus omnis cogitationis fundamenta ſunt, aſſeruit Epicurus, ex quibus ſatis manifeſte id Philoſophum, aliis in hac re acutiorem, docuiſſe cognoſci poteſt, quod ei in theſi ſupra poſita adſcripſimus.

§. XII.

Peragravimus hactenus totum Græcanicæ Philoſophiæ campum, et quid cuivis ſectæ de ideis placuerit, obſervavimus. Deprehendimus vero quosdam in naturali pariter et rationali Philoſophia de illis quædam præcepiſſe, quosdam vero, exploſis

ſis iis et proſcriptis ex naturæ conſideratione, pauca quædam in Logica tradidiſſe. Platonem enim illas pro principio rerum naturalium venditaſſe, et ſummum ſcientiæ apicem in earum cognitione conſtituiſſe, demonſtratum eſt; Ariſtotelem vero formas illas materiæ immerſas eſſe ſtatuiſſe. E contrario vero Heracliteos, Cynicos, Stoicos et Epicureos omnes ejusmodi ſubſtantias inſuper habuiſſe, et ex rerum phyſicarum contemplatione proſcripſiſſe, abſtractionibus, notionibus et anticipationibus conceptuum, quos ideas vocamus, totam de iis doctrinam abſolventes.

§. XIII.

Jam ad Romanos gradus promovendus eſſet, uberiusque exponendum, quid de ideis illorum ſtatuerint Philoſophi. Verum enim

vero nihil dicendum hic occurrit, quod non jam copiose dictum sit. Vti enim peculiarem sectam Romani Sapientes constituerunt nullam, sed diversis Græcorum sectis vel constanter adhæserunt, vel ex plerisque, quod maxime videbatur probabile, elegerunt (*x*), Scepticam cæterum philosophandi methodum, qua certi nihil asseritur, suo modo amplexati, qua via ipse incessit CICERO (*y*); ita etiam in dogmatibus de ideis Græcorum Philosophorum legerunt vestigia, eorumque potius, quam suam exposuerunt sententiam. Vnde ex iis, quæ de Græcorum Philosophorum placitis tradita sunt, facile judicium de Romana in hac parte Philosophia ferri potest.

(*x*) Vid. Cel. BVDDEVS *Elem. Histor. Philosoph. c.V. §.I. p. 66.* seqq. Inter Eclecticos Romanos imprimis nomen extulerunt Marcus Terentius Var-

ro, totius Philoſophiæ promus condus alterque ſui temporis Plato et Ariſtoteles. Tum etiam Q. Horatius Flaccus, qui mox Stoicorum caſtra ſecutus eſt, mox in Epicureorum agmine militavit. Ita enim *Epiſt. l. I. ep.* 1. de ſe canit:

Quid verum atque decens, curo, et rogo, et omnis in hoc ſum,
Condo et compono, quæ mox depromere poſſim.
Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter,
Nullius addictus jurare in verba magiſtri,
Quo me cunque rapit tempeſtas, deferor hoſpes.
Nunc agilis fio, et merſor civilibus undis,
Virtutis veræ cuſtos, rigidusque ſatelles:
Nunc in Ariſtippi furtim præcepta relabor,
Et mihi res, non me rebus ſubmittere conor.

Inter

Inter sectarios vero Lucretius Epicureos, M. Cato, M. Portius Cato, Rutilius Rufus, Q. Aelius Tubero, L. Annæus Seneca aliique Stoicos secuti sunt.

(y) Cicero quidem mox Platonem, mox Aristotelem, et in moralibus Stoicos præcipue secutus est, ita tamen, ut eorum dogmata non pro certis haberet, sed sub probabilitatis tantum specie admitteret. Quod ipse satis clare innuit, quando *Tuscul. Quæst. l. IV. n.* 7. *Defendat*, inquit, *quod quisque sentit, sunt enim judicia libera; nos institutum tenebimus, nullisque unius disciplinæ legibus astricti, quibus in Philosophia necessario pareamus, quid sit in quaque re maxime probabile, semper requiremus. L. I. de Officiis n.* 6. seq. vero profitetur, se propterea Stoicorum disciplinam sequi, quod maxime rationi in istis moralibus sit consentanea, ideoque se ex fontibus eorum præcepta judicio arbitrioque suo, quantum quoque modo

do videatur, haurire. Quocum consentiunt, quæ *l. II. n.* 7. fatetur. *Non sumus ii, quorum vagetur animus errore, nec habeat unquam, quid sequatur, quæ enim ista esset mens, vel, quæ vita potius, non solum disputandi, sed et vivendi ratione sublata? Nos autem, ut ceteri, qui alia certa, alia incerta esse dicunt; sic ab his dissentientes alia probabilia, contra alia improbabilia dicimus.* Ex quibus verbis apparet, Ciceronem quidem Academicorum philosophandi rationem fuisse secutum, ita tamen, ut inter scepticam et dogmaticam methodum prudenter medium tenuerit, et hujus pariter absolutam certitudinem ac illius incertitudinem missam fecerit, probabilia cuncta esse affirmans. Ex quo ratio constat, quousque LIPSII dictum admitti possit: *Fuisse Tullium purum putum Academicum;* et inde quoque derivandum est, quod in hac nostra doctrina aliorum potius sententias verbis supra jam adductis expressit, quam suam exposuit. Sed conferendi

sunt

ſunt pluribus de Ciceronis Philoſophia IO. GEORG. PASCHIVS *Introd. in Philoſoph. mor. Veterum c. III. §. 9.* ſeqq. annex. *tr. de variis modis tradendi moralia p.* 68. ſeqq. et Cel. HEVMANNVS *Actor. Philoſoph. Vol. II. P. IX. p.* 441. ſeqq.

SECTIO

SECTIO II.

De Christianorum veterum et medii ævi placitis de ideis.

§. I.

Enarrata Philosophiæ, gentilis de ideis historia ad Christianorum castra pedem promovemus, ubi inter veteres mox in limine viros offendimus celeberrimos, et eruditionis pariter atque sanctitatis laude venerabiles, qui idearum doctrinam cum reliquo Platonicæ Philosophiæ apparatu adamarunt (*a*), et quæ hic Philosophus dixerat, selecta et inflexa ad sacra Christianæ religionis dogmata explicanda adhibuerunt. Id quod nemo negaverit, qui vel per transennam eorum scripta, æquis modo oculis, inspexit, et ab omni errore liberandi viros, cætera summo jure suspiciendos, homines tamen

tamen, et in gentilium ſcholis formatos et educatos, præjudicio non onerat.

(*a*) De Platoniſmo Patrum prolixe agere inſtituti ratio haud patitur, neque etiam opus eſt, poſtquam tot eruditorum diſceptationibus quæſtio ventilata, et a plerisque conceſſum eſt, Patres Eccleſiæ veteris Platonem non ſolum adamaſſe, ſed et nimio ejus amore in transverſum interdum actos fuiſſe. Vnde recte olim IAC. THOMASIVS in *Orig. hiſtor. Eccleſ. et Philoſ. p.* 87. aſſeruit: *Platoniſmum Patrum tam clarum eſſe, ut negari niſi ab imperitiſſimis non poſſit.* Qua de re pluribus videndi PETR. DAN. HVETIVS in eruditiſſimo *Origenianorum* Opere; IO. CLERICVS in *Biblioth. ſelect. T. XIII. p.* 209. multique alii. In compendio rem concinne extulit IO. BAPT. CRISPVS in *præfatione Operis ſæpe citati*, dignus certe, qui audiatur. Ita vero, poſtquam multa de neceſſi-

tate,

tate, quæ veteris Ecclesiæ Doctoribus incubuit, Philosophiam gentilem cum sacris dogmatibus comparandi dixerat, pergit: *Utinam externum illud bellum (ob quosdam servatos hostes) non domesticum, et propterea tristius ac turbulentius non fuisset intrusum. Nam ex fusorum exercituum reliquiis eorumque ducibus, veluti captivis triumpho ductis, quibus tanquam Corycæis in adversariorum insidiis detegendis uti cum destinassent; mirum, quam exitiosius bellum, quo magis domesticum atque occultum in Ecclesia DEI natum est*, etc. *Et ut cæteros suis locis detegendos ablegem, unum in præsentia PLATONEM, veluti ex hostium numero captivum servatum, ante oculos ponam. Atque utinam, de quo tantum quererer, non haberem. Hic enim humaniter, et plus, quam par erat, a nostris benigne exceptus, cum ethnicus esset, et hostium famosissimus antesignanus, et vanis tum Græcorum tum exterarum gentium superstitionibus apprime imbutus, et mentis acumine, et variorum dogma-*

tum cognitione, et famosa illa ad Aegyptum navigatione ingenii sui, alioqui praeclarissimi vires adeo roboravit, et patria eloquentia usque adeo disciplinas adauxit, ut, sive de Deo, et de ipsius una quadam nescio qua Trinitate, bonitate, providentia, sive de mundi creatione, de coelestibus mentibus, de daemonibus, sive de anima, sive tandem de moribus sermonem habuerit, solus e Graecorum numero ad sublimem Graecae sapientiae metam pervenisse videretur. Hinc nostri prima mali labes. - - Et quidem tanta fuit in captivo Platone sapientia, tantaque leporis eloquentiae dulcedo, ut parum abfuerit, quin de victoribus, triumpho ipse actus, triumpharet. Hactenus Crispus, qui verbis suis mox exemplo Clementis Alexandrini, Origenis, Philonis, Iustini, Eusebii, Theodoreti et Augustini fidem adductis propriis ipsorum effatis facit. Media tamen hic quoque via incedendum est, et a Platonismo Patres non quidem plane absolvendi sunt, neque tamen omnia ex lacunis hisce hausta

esse

esse statuendum est, quæ de sacris religionis nostræ placitis docuere. Id quod in lectione librorum, qui hanc rem exposuerunt, videlicet BALTI, qui *defensionem SS. Patrum Platonismi* accusatorum nobis dedit ex una, et auctoris anonymi, qui *Platonismum detectum* edidit, ex altera parte omnino observandum, ne, dum vitamus vitium, in contraria, et ab uno extremo ad alterum curramus.

§. II.

Præ cæteris vero inter Ecclesiæ veteris Doctores, Iustinus Martyr, Clemens Alexandrinus, et Augustinus doctrinam de ideis magni fecerunt, et in sacra Christianorum dogmata receperunt, quos tamen studio erga Platonem, et sententia illi magis accedente præter Synesium superavit Dionysius, falso Areopagita dictus, quibus plures addi possent, nisi res Theologis po-

tius, in quorum castris militarunt fulgida Ecclesiæ lumina, relinquenda alibi fuse enarrata esset. (*b*)

(*b*) Prolixe et magno eruditionis apparatu Patrum de ideis divinis sententiam explicuit eruditissimus antiquitatis promus condus DIONYS. PETAVIVS *Theolog. Dogm. T. I. l. IV. c.* 11. *p.* 298. seqq. et Dionysii Platonici speciatim *c.* 10. *p.* 289. seqq. unde brevioribus nobis esse licebit eaque paucis tantum indicare, et prætermissa supplere, ubi Vir celeberrimus prolixa oratione occupatus est. Quod igitur ad IVSTINVM attinet, qui MARTYRIS cognomine ab aliis distinguitur, ille non solum ideas a Platone didicit, sed et Platonem eas ex sacris literis hausisse, et divina oracula quasi expilasse tradit. De priore enim *Dial. cum Tryph. p.* 219. Edit. Morell. scribit: Καὶ με ἥρει σφόδρα ἡ τῶν ἀσωμάτων νόησις καὶ ἡ θεωρία τῶν ἰδεῶν ἀνεπτέρε μοι τὴν φρόνησιν, *valde me delectabat incorporeorum notio,*

notio, et idearum contemplatio mentem meam quasi alis quibusdam altius evehebat. De posteriore vero *Cohortat. ad Græcos p.* 29. Τούτοις ἐντυχὼν ὁ Πλάτων, καὶ ὐ μετὰ τῆς προσηκούσης θεωρίας δεξάμενος τὰ γεγραμμένα ῥητὰ, ᾠήθη εἶδός τι χωριστὸν προϋπάρχειν τοῦ αἰσθητοῦ, ὃ καὶ παράδειγμα τῶν γενομένων ὀνομάζει πολλάκις. *Ea* (quæ de exemplari tabernaculi Moses dixit,) *legens Plato, neque ut debebat, accurate intelligens, quæ ibi scripta dicuntur, putavit speciem quandam separatam, ante id, quod sensibile est, existere, quod et exemplar eorum, quæ facta sunt, sæpe nominat.* Consentit CLEMENS ALEXANDR. *l. VI. Stromatum,* qui Iustinum in eo excedit, quod dicit, Platonis de ideis sententiam esse veram, orthodoxam et Christianam Philosophiam. conf. EVSEB. *de præparat. Evang. l. XI.* AVGVSTINVS vero præclara multa de ideis dixit, loco supra jam laudato *Quæst. octoginta tr. Q.* 46. *T. IV. Opp. p.* 388. seq. Edit. Basil. *T. VI.* Edit. Bened. ubi præter ea,

quæ jam ſupra adducta ſunt, ita ſcribit: *Tanta in ideis vis conſtituitur, ut niſi his intellectis ſapiens nemo eſſe poſſit. - - Ideæ ſunt principales formæ quædam vel rationes rerum, ſtabiles atque incommutabiles, quæ ipſæ formatæ non ſunt, ac per hoc æternæ, ac ſemper eodem modo ſeſe habentes, quæ in divina intelligentia continentur. Et cum ipſæ neque oriantur neque intereant, ſecundum eas tamen formari dicitur, omne quod oriri et interire poteſt, et omne quod oritur et interit. Anima vero negatur eas intueri poſſe, niſi rationalis. - - Quis autem religioſus, et vera religione imbutus, quamvis nondum poſſit hæc intueri, negare tamen audeat, imo non etiam profiteatur: Omnia, quæ ſunt, id eſt, quæcunque in ſuo genere propria quadam natura continentur, ut ſint, Deo auctore eſſe procreata, eoque auctore, omnia quæ vivunt, vivere, atque univerſalem rerum incolumitatem ordinemque ipſum, quo ea, quæ mutantur, ſuos temporales curſus certo moderamine celebrant, ſummi*

mi

mi DEI legibus contineri et gubernari? Quo constituto atque concesso, quis audeat dicere, DEum irrationabiliter omnia condidisse; quod si recte dici et credi non potest, restat, ut omnia ratione sint condita, nec eadem ratione homo, qua equus, hoc enim absurdum est, existimare. Singula igitur propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes, ubi arbitrandum est, esse, nisi in ipsa mente creatoris. Non enim extra se positum quicquam intuebatur, ut secundum id constitueret, quod constituebat: nam hoc opinari sacrilegum est. Quod si hæ rerum creandarum creatarumve rationes in divina mente continentur, neque in divina mente quicquam nisi æternum atque immutabile potest esse, etc. Diligenter hæc eruditissimi Ecclesiæ Doctoris verba expendenda et notanda sunt, ut cognoscatur, quæ veterum Theologorum, qui cautius incesserunt, de hac re mens fuerit. Fuere vero alii, qui apertius Platonem secuti sunt. Præter Philonem enim, qui inter

Christianos numerandus non est, et de cujus Platonismo PETAVIVS *l. c.* et IO. CLERICVS *Epist. Crit. VIII. T. III. art. Crit. p.* 210. seqq. accurate agunt, SYNESIVS Cyrenæus, Ptolemaidis Episcopus manifeste de ideis πλατωνίζει. Ita enim *Hymno III. p.* 51. Ed. H. Steph. de filio:

Ὅρος εἶ φυσίων
Τὰς τικτοίσας
Καὶ τικτομένας.
Σέβομαι νοερῶν
Κρυφίαν τάξιν.
Χωρεῖ τι μέσον
Οὐ καταχυθέν.

Terminus es naturarum
Parientis,
Et partæ,
Veneror intellectualium
Arcanum ordinem.
Capiunt hæc medium quiddam
Non (extrinsecus) *infusum.*

Et

Et *p.* 80.

Λάμψον παραπίσιν
Ἀπὸ σῶν κόλπων
Νοερὸν φέγγος.

Illuſtra animum
De tuo ſinu
Intellectuali luce.

Conf. *p.* 88. et *p.* 94. ubi ita:

Ἴδε σὰν ἱκέτιν
Ψυχὰν, ἐπὶ γᾶς
Νοεραῖς ἀνόδοις
Ἐπιβαλλομέναν.

Reſpice tuam ſupplicem
Animam in terris,
Intellectuales aſcenſus
Tentantem.

Nec miranda hæc ſunt in Syneſio, toto Platonis amore capto, toto eum exprimente. Graviora enim de DEO fonte idearum a Chriſtiano non expectanda habet *p.* 46. ubi ita:

Σπέρμα τῶν πάντων
Ῥίζα καὶ ὅρπαξ
Φύσις ἐν νοεροῖς
Θύλη καὶ ἄῤῥεν.

Semen omnium,
Radix et ſummus ramus,
Natura inter intelligentias
Fœmina et mas.

Vt enim taceam, emanationem ex Deo haud obſcure innui, id ſolum abſurde platonizantem demonſtrat Syneſium, quod DEum faciat ἀνδρόγυνον. De quo errore mere gentili, ne in aliena a ſcopo divertamur, conſuli velimus viros præſtantiſſimos IO. ALB. FABRIC. *ad Cod. Apocryph. N. T. p.* 360. et in *Bibliogr. Antiq. c. VIII. §.* 7. *p.* 231. IO. CHR. WOLF. *ad Orig. Philoſophum. p.* 40. ſeq. et, qui hunc ipſum Syneſii locum affert ISAAC. CASAVB. *Exerc. Antibaron. I. n.* 18. *p. m.* 59. addendus omnino Illuſtris GISB. CVPERVS in *explic. numiſm. antiq.* add. *Comm. de apoth. Homeri p.* 227. Non minori ſtu-

dio

dio Platonem amplexus eſt Pſeudo-Dionyſius, qui, ut erat Platonicæ quam Chriſtianæ doctrinæ callentior, ita neſcio quas ſubſtantias, præter primigenias proprietates et attributa in Deo finxit, a rebus ſingularibus abductas, et ſejunctas, quæ ſint rerum ſenſibilium ſpecies et exemplaria, et quarum participatione res ſunt, quod ſunt. Scilicet in Deo omnium perfectionum abſolutiſſimam eſſentiam et proprietates contineri Dionyſius ſtatuit, quæ, quatenus in Deo ſunt, eadem ipſius natura ſunt et ſubſtantia, quatenus vero ab eo derivantur, inter DEum et res creatas mediæ participantur et participiant. Et hæ formæ ac exemplaria ab æterno a Deo creata ſunt, ſi illum audis, mere Platonem exprimentem, et pronomine ἀυτὸς, v. g. ἀυτοχγαθότης in iis deſcribendis utentem. Patebit hoc, quod diximus, ex libro *de divinis nomin. c. V.* quod inſcribitur: Περὶ ὄντος, ἐν ᾧ καὶ περὶ παραδειγμάτων *§.* 5. *p.* 691. Edit. Antwerp. ubi inter alia multa huc per-

pertinentia, Αἱ ἀρχαὶ, inquit, τῶν ὄντων πᾶσαι τᾶ εἶναι μετέχεσαι καὶ εἰσὶ, καὶ ἀρχαὶ εἰσὶ, καὶ πρῶτον εἰσι, ἔπειτα ἀρχαὶ εἰσί· Καὶ εἰ βέλει τῶν ζώντων ὡς ζώντων ἀρχὴν φάναι τὴν αὐτοζωὴν, καὶ τῶν ὡμοίων ὡς ὡμοίων τὴν αὐτοομοιότητα - - καὶ τῶν ἄλλων ὅσα τεδε ἢ τεδε ἢ ἀμφοτέρων, ἢ πολλῶν μετέχοντα, τόδε ἢ τόδε, ἢ ἀμφότερα ἢ πολλά ἐςι, τὰς αὐτομετοχὰς εὑρήσεις τε εἶναι πρῶτον αὐτὰς μετεχέσας, καὶ τῷ εἶναι πρῶτον μενέσας. Ἔπειτα τεδε ἢ τεδε ἀρχὰς ἔσας καὶ τῷ μετέχειν τε εἶναι, καὶ ἔσας καὶ μετεχομένας. Εἰ δὲ ταῦτα τῇ μετοχῇ τε εἶναι ἐςι, πολλῷγε μᾶλλον τὰ αὐτῶν μετέχοντα. *Principia eorum, quæ ſunt, omnia participant eſſe, et ſunt, et principia ſunt, et primum ſunt, et poſtea principia ſunt. Et ſi vis viventium, quatenus vivunt, principium dicere perſe-vitam; et ſimilium, quatenus ſimilia ſunt, perſe-ſimilitudinem - - et ſimiliter in aliis, quæcunque hoc aut illud, aut utrumque, aut multa participant, et hoc aut illud, vel utrumque aut multa ſunt participata, reperies, per ſe participationes primum participa-*

re

re esse, et sic primum esse, quod sunt, deinde hujus aut illius principia esse, et participando esse, existere et participari. Si autem hæc (principia) *per participationem ipsius esse existunt, multo magis, quæ ipsa illa principia participant.* Ad quem locum multa quidem notavit ex veteribus Maximus Martyr, ita tamen, ut mentem Dionysii plane evertat. Putat enim intelligi per illa παραδείγματα excellentiores modo substantias, veluti sunt throni in genere creaturarum intelligibilium, quibuscum, ut speciem quandam explicationi suæ conciliaret, divinæ voluntatis decreta, quibus τὸ εἶναι creatarum rerum destinatur, idearum nomine jungit. Qua in re, uti a Dionysii mente longe abit, ita etiam absurdam satis sententiam fovet, nempe DEum ei, quod substantiale ipsi inesse concipimus, τὸ εἶναι sive ὑπόςασιν dedisse, id est, produxisse substantiam suam. Præterea αὐτοζωὴ a notione sive idea vitæ, quæ est in intellectu divino a Dionysio satis clare distinguitur. Quam in rem con-

conferenda sunt, quæ *c. XI. §. 6. p.* 846. seqq. Pseudo-Dionysius prolixe disserit, eo tendentia, ut per illa principia se intelligere dicat, Οὐχ οὐσίαν τινὰ θείαν ἢ ἀγγελικὴν τὸ αὐτὸ εἶναι τοῦ εἶναι τὰ ὄντα πάντα αἰτίαν, οὐδὲ ζωογόνον ἄλλην θεότητα, *non substantiam quandam Angelicam, quæ sit causa, ut sint omnia, quæ sunt, nec aliam divinitatem, quæ vitam pariat. Dicere vero se,* μεθεκτῶς τὰς ἐκδιδομένας ἐκ Θεοῦ τοῦ ἀμεθέκτου προνοητικὰς δυνάμεις, τὴν αὐτοουσίωσιν, αὐτοζώωσιν, αὐτοθέωσιν, ὧν τὰ ὄντα οἰκείως ἑαυτοῖς μετέχοντα, καὶ ὄντα, καὶ ζῶντα, καὶ ἔνθεα καὶ ἐστι καὶ λέγεται. *Secundum participationem providas illas facultates, quæ a Deo participationis omnis experte producuntur, appellari ipsam per se-essentiam* etc. *quæ quidem, pro suo quæque captu participantia ea quæ sunt, et entia, et viventia, et divina sunt et dicuntur.* Vnde facile colligitur, Dionysium duplicis generis ideas statuere, unum, quod eminenter est in Deo, et ipse Deus, fons omnium

omnium substantiarum, alterum, quod per communicationem ab eo emanavit vel participavit, et ab reliquis entibus participatur. Hinc Maximi, Pachymeræ, Corderii aliorumque explicationes, quæ sana hic omnia somniant, probe examinandæ, neque ἀπλῶς admittendæ sunt. Verum prolixe et consueta eruditionis accuratione hæc et reliqua omnia confecit PETAVIUS *l. c. c. X. §. 293.* seqq. qui omnino videndus, nobis enim, quibus brevitatem sectari constitutum est, prolixioribus esse non licet. Observavit tamen Petavius, melius et magis Christiane sensisse Dionysium, et dum Platonicas voces loquendique modos adamabat, καταχρηστικῶς tantum fuisse locutum, quod, quousque in Dionysio locum inveniat, viderint, quorum interest. Plura Maximi, Damasceni, Petri Damiani, Anselmi aliorumque de ideis cogitata vix ubique consonantia ibi quoque inveniri possunt, quo merito lectorem remittimus. Cæterum singulari animadver-

sione

ſione dignum eſt, quod Patres, etſi multi eorum doctrinam de ideis deperierunt, Valentinianorum tamen, Gnoſticorum, aliorumque hæreticorum prava dogmata ſubinde ex illis derivaverint. In iis enim ſemina Gnoſticorum relucere ait TERTVLLIANVS *de anima*, conſentitque IRENAEVS *adv. hæreſes l. II. c.* 19. et Valentinianos æonas a Platonicis ideis mutuatos eſſe idem TERTVLL. *de præſcript. c.* 7. aſſerit; conf. *de carne Chriſti p.* 61. ISIDOR. *de Viris illuſtr.* EHREG. DAN. COLBERG. *Chriſt. Plat. Herm. c. II. §.* 3. *p.* 84. ſeq. et *de orig.* et *progreſſu hæreſ.* LIPSIVS *Phyſiol. Stoica diſſ. III. p.* 61. et, diverſo licet fine, AVCTOR *Platoniſmi detecti P. I. c. VIII. p.* 71. *c. XVII. p.* 172. Quæ quouſque locum inveniant, in Eccleſiaſtica hiſtoria diſpiciendum eſt. Vbi etiam pluribus ſolet agi de errore Gregorii Palamæ et ſequacium, qui divinas proprietates, præſertim relativas ab eſſentia divina non ratione ſola, ſed re ipſa quoque diſtin-

distinctas esse asseruere, et ita peculiares ex Deo substantias, Dei substantia minores, mediique cujusdam inter DEum ac res creatas ordinis, Platonicis ideis haud dissimiles introduxere, qua de re ex instituto quoque agens consulendus est PETAVIUS *l. c. l. I. c.* II. *p.* 83. seq.

§. III.

Jam Scholastici nos vocant, inter quorum tricas et quisquilias invenimus, quod ad hanc quoque de ideis historiam referendum est. Etsi enim Aristotelem, qualem Arabes dedere, coryphæum magistrumque sequebantur, (*c*) et piaculum esse ducebant, a receptis ejus ætatis hypothesibus longius, et ultra timidas quæstiunculas explicandique modum recedere; accidit tamen, ut universalium doctrinam explicituri in partes discederent, et de eorum existentia modoque a

Porphyrio prudenter omiſſo (*d*) inter ſe acerrime diſputarent. Vnde Nominalium et Realium ſecta exorta eſt, quarum illa Stoicis, hæc Platonicis acceſſiſſe viſa eſt.

(*c*) Notiora hæc ſunt, quam ut multis demonſtrari neceſſe habeant. Vnum hoc, quod ad rem noſtram facit, obſervamus, Ariſtotelem a Scholaſticis Platoni multum fuiſſe prælatum. Cujus rei ratio inde potiſſimum derivanda eſt, quod philoſophi et doctores ejus temporis Græcam linguam tantum non penitus ignoraverint, et ita Platonem legere nequiverint. Accedit, quod Theologiæ myſticæ cultores Scholaſticis ſemper inviſi, duce imprimis Pſeudo-Dionyſio Græcisque aliis Platonem magni fecerint, et intra ſuos cancellos admiſerint, unde non potuit non magnum inde in Platonem ipſum Scholaſticorum odium derivari. Nec erant eo tempore, qui Platonem commentationibus, verſionibus, adde, corruptio-

rruptionibus ad feculi genium accommodarent, quod Ariftoteli accidit, quem Arabes, interque eos imprimis Averroës, mifere corruptum ex Græca in fuam et ex illa in Latinam transtulere linguam. Quare mirum effe non debet, Ariftotelem antea vix lectum, parvique habitum, poft Boëthii tempora præcipue caput erigente barbarie, Platoni, cujus tanta apud veteres fuit auctoritas, tantusque inter Patres Ecclefiæ amor, fuiffe prælatum. Quod quomodo factum fit, eleganter exponit LVDOV. VIVES *de Civ. Dei l. VIII. c.* 10. *A temporibus Platonis et Ariftotelis usque ad Alexandrum Aphrodifeum, qui vixit Severo et ejus filiis Principibus, Ariftoteles nominabatur magis, quam vel legebatur a doctis vel intelligebatur. Primus ille aggreffus eum enarrare, et adjuvit ftudia multorum, et ad alia in eo Philofopho quærenda excitavit. Manfit tamen crebrior in manibus hominum et notior Plato, usque ad fcholas in Gallia et Italia publice conftitutas, id eft, quam-*

 diu

diu Græca et Latina lingua viguerunt. Postea vero quam theatricæ cœperunt esse disciplinæ, omnisque earum fructus existimatus est, posse disputando fucum facere, et os obturare, et pulverem ob oculos jacere, idque imperitissima peritia, et nominibus ad lubitum confictis, accommodatiores ad rem visi sunt libri Logici Aristotelis et Physici, relictis permultis præclaris ejus operibus: Platone vero, et quod ab eis non intelligeretur, quamvis multo minus Aristoteles, et quod artificium videretur docere, ne nominato quidem; non quod minorem aut ineruditiorem putem Platone Aristotelem, sed quod ferendum non est, Platonem sanctissimum Philosophum præteriri, et Aristotelem ita legi, ut meliore rejecta parte, quæ, retinetur, id cogatur loqui, quod ipsi jubent, stultitias meras, quales non dico Aristoteles, sed nec quisquam illius temporis per furorem cogitarit. Sed conferenda sunt plura testimonia, quæ erudite cumulavit ADAM TRIBBECHOVIUS in doctissima tractatione *de Doctoribus*

Scho-

Scholasticis, passim præcipue *c. II. §. 2.* seqq. *p.* 50. seqq. *c. IV. p.* 179. maxime *c. V. p.* 195. seqq. ubi ea, quæ paucis diximus, adductis ævi illius testimoniis comprobantur; add. Cel. HEVMANNVS in egregia *Præfat.* novæ illius libri editioni præmissa p. 18. et IO. LAVNOIVS *de varia fortuna Aristot. in Academ. Paris. c. IX. p.* 210. seqq. edit. noviss. cum dictis omnino conferendi.

(*d*) Ille enim in *Præfat. Isagoges* mentionem injicit quæstionis, an genera et species in rerum natura, an in solis nudis animi notionibus posita sint? Sed eam, ut et alias similes se omissurum, ait, propter obscuritatem. Vbi Porphyrius sine dubio intricatas de ideis separatim existentibus lites, quarum serram Platonici et Peripatetici tam longo tempore reciprocarunt, intelligit, quas prudenter omisit, ne rei difficultate et ambigua rationum et

 disce-

disceptationum serie lectorem in ipso aditu terreret.

§. IV.

Militaverat scilicet post Boëthii tempora, qui multam Peripato apud posteriora secula comparavit dignitatem auctoritatemque, omnis fere Philosophorum turba in Aristotelis castris, ejusque de formis rerum et natura universalium receperat hypothesin. Ast ad finem properante Seculo XI. novum quid molitus est Ioannes Rucelinus, Britannus, qui omni universalium reali existentia, omnique formarum assertione proscripta, illa nihil aliud quam nudas voces atque nomina esse contendit. Vnde cum in Gallia doceret, atque discipulos nactus esset, peculiari sectæ initium dedit, quæ ab hypothesi, quam strenue defendebat, Nominalium nomen accepit. (*e*) His se non sine vehementi

menti animorum contentione verborumque ſtrepitu oppoſuerunt alii, qui quod univerſalia realia reveraque exiſtentia eſſe docebant, Reales ſunt appellati. Nec unius tantum vel aliquot annorum hæc fuit diſputatio, ſed ex Nominalium parte (*f*) per ſequentia ſecula Petrus Abælardus, et poſt eum, fere intermortua ſecta, Guilielmus Occam cum diſcipulis; ex Realium (*g*) vero Thomas Aquinas, Ioannes Duns Scotus, et tota Dominici et Franciſci familia ſteterunt, unde non ſolum vehementes lites et verborum jurgia, ſed et cruenta interdum prælia orta ſunt (*h*). Quia vero tota controverſia circa exiſtentiam univerſalium ante rem verſatur, (*i*) de qua Platonici, Ariſtotelici et Stoici in diverſas conceſſerunt ſententias, hinc recte quoque in hac tractatione locum occupat.

 (*e*) Con-

(*e*) Controverſiæ inter Nominales et Reales ortæ hiſtoria admodum impedita eſt. Nam præter exigua quædam, quæ Ioannes Saresberienſis, Ioannes Aventinus, Conimbricenſes, et ex medii ævi ſcriptoribus obſcuri forte quidam pauci alii ſparſim et aliud agentes nobis tradiderunt, vix quicquam reperire eſt. Donec vir de omni re literaria, maxime vero de Hiſtoria Philoſophica egregie meritus IACOBVS THOMASIVS laborem in ſe reciperet, et accitis, undecunque poterat, veterum ſubſidiis, certius aliquid de his ſectis traderet, condita *Nominalium hiſtoria*, quam in actu quodam promotionis, quem vocant, publice recitatam inſeruit tandem *Orationibus varii argumenti*, junctim *Lipſiæ* 1683. 8. editis, ubi duodecimum locum *p.* 241. ſeqq. occupat. Quam difficilis, quam rara apud ſcriptores harum ſectarum notitia ſit, *p.* 243. innuit, ubi, *ſubobſcura eſt*, inquit, *eorum in recentium ſcriptis, nec adeo fre-*

quens

quens mentio, quod ipsa hæc Secta (Nominalium) *tantum non interciderit penitus, neque agmen aliquod, ut olim, seorsim ab aliis ducat. Itaque sæpe evenit mihi, ut in eorum nomen incidens, obhærerem, et eorum pleniorem paulo historiam mihi exoptarem. Quam cum ab illis frustra requisivissem, quorum de historia aut sectis philosophorum commentarios videre licuit, cœpi ipse diligenter, quicquid de illis quasi aliud agendo commemoratum uspiam, reperirem, annotare, ut, quoad possem, ipse suppetias ferrem ignorantiæ meæ.* Thomasii relationem in compendio exhibet DAN. GEORG. MORHOFIVS *Polyhist. liter. T.II. l.I. c.* 13. *§.*2. seqq. *p.*73.seqq. ut utrumque conferenti erit perspicuum. Qui quoque provocat ad libellum *Oxonii* 1673. 12. editum sub tit. *Ars rationis ad mentem Nominalium*, ubi historia Nominalium præmissa est, quæ tamen, illo judice, deficit. Nos non quidem non hos duces sequemur, ita tamen ut secundum adhibitam hactenus me-

 tho-

thodum ipſa quoque ſcriptorum vetuſtiorum teſtimonia audiamus, et quæ paſſim obſervanda ſunt, addamus. Primus, qui diſceſſum fecit ab Ariſtotele, fuit, ut in theſi dictum eſt, Rucelinus, Rocelinus, Roſcelinus, vel Roſalinus dictus, natione Britannus. Eidem enim non a recentioribus ſolum, ſed et a IOAN. SARESBERIENSE in *metalogico*, qui liber *Pariſiis* 1610. 8. prima vice prodiit, *l. II. c.* 17. *p.* 99. adſcribitur: *Alius*, ait, *conſiſtit in vocibus, licet hæc opinio cum Rocelino ſuo fere omnino jam evanuerit.* Clarius, AVENTINVS *Annal. Bojor. l. VI. c.* 3. *§.* 32. *p.* 595. edit. Gundling. *Hiſce quoque temporibus fuiſſe reperio Rucelinum Britannum, magiſtrum Petri Abælardi, novi Lycæi conditorem. Qui primus ſcientiam vocum ſive dictionum inſtituit, novam philoſophandi viam invenit.* Conf. NICOL. CAVSSINVS *de eloq. Sacra et humana l. IV. c.* 34. *p. m.* 220. THOMASIVS *l. c. p.* 264. ſq. Vixit vero, ſecundum Aventini verba

circa

circa ea tempora, quibus Lotharius II. imperii habenas tenuit. Vbi tamen Aventini verba premenda nimis non ſunt, ſed laxius interpretanda, ne Abælardi diſcipuli tempora cum ætate magiſtri Rucelini confundamus, vel temporum ſeriei contradicamus, ut jam notavit Thomaſius *l. c.* unde recte in finem Sec. XI. refertur. conf. BEN. PICTET. *Hiſtoire de l'Egliſe de l' XI. Siecle ad An.* 1092. *p.* 959. ſq. Hic novæ ſectæ, ſive, ut Aventinus loqui amat, Lycæi novi in Gallia conditor, primus ab hypotheſi diſcipulis nomen fecit, ut Nominales dicerentur.

(*f*) Quia Petrus Abælardus Rucelinum magiſtrum in Philoſophicis habuit, ut ipſe refert in *Hiſtor. calam. ſuar. c.* 1. mirandum non eſt, eum Nominalium ſectam, quantum poterat, auxiſſe et defendiſſe. Id quod eo majori facere potuit ſucceſſu, quo majorem in Dialecticis quæſtionibus diſſerendi ſubtilitatem et acumen erat aſſe-

assecutus. Ait enim ipse *l. c. Dialecticarum rationum armaturam omnibus Philosophiæ documentis prætuli.* Quibus verbis exortas tum temporis Nominalium lites sine dubio intelligit, qui Dialectices potiorem partem, imo nobilissimam iis contineri crediderunt, quare et armaturæ voce digitum huc Abælardus intendere videtur. Inflexit tamen paululum magistri sententiam; teste enim SARESBER. *l. c. In ea opinione, quæ sermones intuetur, et ad illos detorquet, quicquid alicubi de universalibus meminit scriptum, deprehensus est Peripateticus Palatinus Abælardus.* Cætera, quæ de Abælardi erroribus dici solent, hic non curamus, nec hujus loci sunt. Post Abælardi mortem etsi vix fuit, qui Rocelini opinioni adhæserit, sic ut SARESBER. qui inclinante Sec. XII. vixit, loco jam adducto fateatur, *ejus opinionem cum suo fere auctore jam evanuisse*, amplexi tamen sunt quidam, non tamen multi, Abælardi sententiam. Addit enim laudatus

tus scriptor: *Abælardum multos reliquisse, et adhuc quidem aliquos habere professionis hujus sectatores et testes, amicos suos.* Intermortua vero videri poterat; quin extincta penitus post illa tempora Nominalium secta, nisi Sec. XIV. Guilielmus Occamus, ob victorias, quas de Realibus reportavit, Doctor invincibilis dictus, cuncta restituisset, eique pristinum quin majus incrementum dedisset. Cum enim in eo esset totus, ut Ioannis Duns Scoti magistri sui et præceptoris sententias, quo posset, modo et ingenii ac linguæ vi rescinderet, et refutaret, Realium quoque de existentia universalium dogma reprobavit, qua ex causa quam acerbæ lites, jurgia et contentiones in Oxoniensi academia exortæ sint, multis exponit ANTONIVS WOOD in *Historia et Antiquitatibus universitatis Oxoniensis ad annum* 1343. Nec substitit in Anglia sententiarum dissidium, sed, quia Occamus Galliæ pariter atque Germaniæ aulas et Academias visita-

ſitaverat, ibi quoque ſectatores multos, diverſo tamen ſucceſſu et eventu, habuit. Anno enim 1473. Galliæ Rex Ludovicus XI. edicto publico, cujus exemplum eſt apud GABRIEL. NAVDAEVM in *addition. ad Hiſtor. Ludovici XI. p.* 203. ſeqq. damnavit omnem Nominalium ſectam, expreſſo vero nomine, Guilielmum Occam, Suiſſetum, de Arimino, Buridanum, Petrum de Aliaco, Marſilium ab Inghen, Adamum Dorp, Albertum de Saxonia; ejurare juſſit eam ſectam omnes Doctores, Magiſtros et cives Academiæ, et confiſcari Nominalium libros: Id quod ex Naudæo quoque refert D. G. MORHOF. in *Polyhiſt. liter. T. II. l. I. c.* 13. *§.* 22. *p.* 80. qui et toto hoc capite de Scholaſticis Nominalibus eſt videndus. Longe feliciora fata habuit Nominalium ſecta in Germania. Potiſſimæ enim academiæ a Nominalibus occupabantur; cujus rei documentum eſſe poteſt, quod Marſilius ab Inghen et Ioannes Buridanus edicto Regio

Gallia

Gallia expulsi, exilii locum Germaniam non sine æquiore fortuna elegerint. Ille enim Heidelbergensem, hic Viennensem Academiam instituit, teste AVENTINO *l. c. §. 32. p. 595.* unde et Nominalium doctrina in istis Gymnasiis invaluit. Cujus inde facile potest dari ratio, quod Guilielmus Occam Imperatoris Ludovici Bavari partes strenue calamo defenderit, et ita suæ sententiæ asseclis ingens patrocinium conciliaverit. In Belgium vero hæc quoque Nominalium sententia penetravit. Nam Ioannes Wesselus Gansfortius, a quibusdam Basilius vocatus, strenuus ante Formalium mox Realium sectator, tandem accuratiora quærens Nominalibus nomen dedit, discipulosque in eadem sententia educavit. Vid. *Ejusd. Opp. p.* 817 seqq. et HENR. LVDOLPH. BENTHEM. in *statu Ecclesiast. et Scholast. Belgii P. II. c. IV. §. 9. p.* 180. Suo vero tempore hanc sectam adhuc floruisse testatur quoque ERASMVS in *Epistolis*, *passim*,

ſim, vid. *l. I. ep.* 22. *l. II. ep.* 15. *l. XXVIII. ep.* 8. quemadmodum et B. Lutherum Erfordiæ in hac ſententia fuiſſe inſtitutum, MELANCHTHON in *ejus vita*, Melanchthonem vero Tubingæ eam didiciſſe, IOACH. CAMERARIVS in *vita ejus p.* 24. teſtantur. Ad recentiorem ætatem quod attinet, ſæpius nobis laudatus Thomaſius Nominales ita extinctos eſſe putat, ut *l. c. p.* 275. interroget: *Hodie ubi inveniemus Nominales? Nuſpiam, opinor, locorum, ita quidem, ut ſeparatum ab aliis familiis cœtum ducant.* Et recte quidem, quatenus inanes iſtas lites, et inutilia Logicarum et Metaphyſicarum ſpeculationum terriculamenta miſſa fecit major eruditorum pars. Nec tamen diffiteri poſſumus, IO. HENRIC. FABRVM Auguſtanæ Eccleſiæ olim miniſtrum in *Epiſtola* ad THEOPH. SPIZELIVM A. 1654. d. 20. Auguſti data, et a Viro quodam eruditiſſimo et humaniſſimo, cujus benevolentiæ multum debemus, nobiſcum communica-

ta

ta ſcripſiſſe : *Super themate de individuo ſuo tempore Tubingæ acriter ſatis diſputatum eſſe, an detur etiam univerſale extra intellectum vel citra mentis operationem.* Quin ſi illuſtrem GODOFR. GVIL. LEIBNIZIVM in *diſſ. prælim. ad Marii Nizolii librum de veris principiis et vera ratione philoſophandi contra Pſeudo-Philoſophos*, audimus, Hobbeſius quoque, cætera nihil minus, quam Scholaſticorum ineptias curans, inter Nominales referendus eſt, eam ob cauſam, quod ipſo Occamo nominalior, rerum veritatem dicat in nominibus conſiſtere, ac, quod majus eſt, pendere ab arbitrio humano.

(*g*) Cognitis Nominalibus facile jam intelligi poteſt, qui a parte Realium ſteterint ; huc enim tota reliqua Scholaſticorum cohors revocanda eſt. Nam ipſi Abælardi diſcipuli plerique a Præceptore defecere, unde SARESBERIENSIS ſæpius laudatus, etſi *l. c.* *c.* 10. *p.* 84. fatetur, *ſe ad pedes Abælardi*

lardi clari et admirabilis omnibus Doctoris prima Dialecticæ rudimenta accepisse, et pro modulo ingenii sui, quicquid excidebat, ab ore ejus tota mentis aviditate excepisse, Realibus tamen magis quam Nominalibus favet, ut ex toto *c. XI. libri II. Metalog.* satis est perspicuum. Quod inde forte ortum est, quia post discessum Abælardi adhæsit magistro Alberico, quem *inter cæteros opinatissimum Dialecticum, et revera Nominalis sectæ acerrimum impugnatorem* vocat. Præter alios vero imprimis Dominici et Francisci sequaces, et inter illos Thomas quidem Aquinas, inter hos Ioannes Duns Scotus principatum ex parte Realium tenuere, teste AVENTINO *l. c.* licet eos in aliis sæpe dissensisse satis constet. Hinc et Dominicanis relicto Realium nomine Formales se appellarunt Franciscani reliquique Scotistæ, quemadmodum et Veterani vocati sunt, ut distinguerentur a Modernis, sive Tyronibus, quo nomine Nominales per contumeliam quasi appellabantur. Et

hæc

hæc quoque secta multum ubique obtinuit, potioremque Philosophorum et Theologorum partem confecit. Laudantur enim in edicto Gallico et commendantur loco supra citato in hanc rem præter Thomam Albertus Magnus, Aegidius de Roma, Alexander de Hallis sive Alesius. Cui magna cohors, nisi brevitati studeremus, addi posset, quam operose producit MORHOFIVS *Polyhist. lit. T. II. l. I. c.* 14. *p.* 83. seqq. etsi inter eos multi sunt, non tam ad Philosophos, quam ad Theologos referendi, quod in specie de Petro Lombardo observat THOMASIVS *l. c. p.* 269. 270.

(*b*) Testem damus ante reliquos AVENTINVM, qui loco aliquoties laudato ita de eorum contentionibus loquitur: *Aliis subinde aliæ opiniones, alia placita sunt, ita fit, ut nulli duo concinant. Acutissimus censetur, qui maxime ab aliis discreparit. Eruditionem discordia metiuntur, se invicem jugulant,*

ſe ipſos invicem conficiunt atque conſumunt. Nunquam concordes, niſi cum conſpirarint; ſunt qui armati adverſus omnes omnium reprehenſiones inter ſe collegant, eamque peſtem Grammaticæ, Theologiæque invexere, nimirum Scholaſticæ atque umbraticæ. Graviora habet LVDOVIC. VIVES *de corrupt. diſcip. l. I. p.* 42. *Clamores primum ad ravim, hinc improbitas, ſannæ, minæ, convitia, dum luctantur, et uterque alterum tentat proſternere: conſumtis verbis venitur ad pugnos, ad veram luctam ex ficta et ſimulata. Quin etiam, quæ contingunt in palæſtra, illic non deſunt, colaphi, alapæ, conſputio, calces, morſus, etiam quæ jam ſupra leges palæſtræ, fuſtes, ferrum, ſaucii multi, nonnunquam occiſi.* Conſentit magnus ERASMVS in *Epiſt. præmiſſa Enchiridio: Adornatur jam*, inquit, *bellum adverſus Turcas, ſed quid futurum arbitramur, ſi victis, ut Chriſtum amplectantur, Occamos, aut Durandos, aut Scotos, aut Gabrieles, aut Alvaros propoſuerimus? Quid cogitabunt, aut quid ſen-*

sentient, ubi audient spinosas illas et inextricabiles argutias, de instantibus, de formalitatibus, de quidditatibus, de relationibus? præsertim ubi viderint de iis adeo non convenire inter magnos illos religionis professores, ut frequenter usque ad pallorem, usque ad convitia, usque ad sputa, nonnunquam et usque ad pugnos invicem digladientur, alios ut Nominales, alios uti Reales loqui. conf. *Encomium Moriæ.* Quæ de istis temporibus questi sunt viri præstantissimi, aliorum quoque querela fuit, omnes enim Academias pestis illa pervaserat. Ideo IOACH. CAMERARIVS quoque in *vita Philippi Melanchthonis p.* 23. sermone de Nominalium et Realium sectis facto subjicit: *Non solum contentiones et jurgia inter dissentientes, sed dimicationes etiam ac pugnæ commissæ fuerunt, interdum concertationibus non tantum pertinacibus verborum, sed manuum quoque violentis. Hæc dissidia et Tubingensem Academiam invaserant, contubernio bonarum artium et Philosophiæ studiis destinato, in duo quasi ca-*

ſtella diviſo, ex quibus de opinione ſua factiones illæ acerrime præliantes inimicitias graves exercebant. Conf. FRANSC. PATRICIVS *Diſcuſſ. Peripat. T. I. l. XIII. p.* 170. qui præter altercationes et rixas dimicationum quoque et bellorum in Galliis inter Nominales ac Reales acerrimorum meminit. Addatur NICOL. CAVSSINVS de *eloq. div. et hum. l. IV. c.* 34. *p. m.* 220. cruenta de hac re quoque inter Studioſos Pariſienſes prælia memorans.

(*i*) Quæ Nominalium, quæ Realium ſententia fuerit, vix uno verbo explicari poteſt, quia in plures abierunt opiniones. In eo tamen in genere diſſenſiſſe dicendi ſunt, quod Nominales univerſalia nil niſi conceptus, voces, vel ſermones eſſe putaverint, cum e contrario Reales ea in rebus ſubſiſtere aſſeruerint. *Veterani* enim, verba ſunt AVENTINI *l. c.* §. 33. *ſcientiam, utpote æmulam naturæ, de rebus ſive in rebus exiſtere, ea quæ confuſa ſunt,* *notio-*

notione, mente, cogitatione duntaxat distinguuntur; diversa quoque esse contendunt; sicuti est numerus, et res, quæ numeratæ sunt, magnitudo et res magna, cæcus et cæcitas atque hujusmodi alia. Tyronum caterva, hæc quæ solum intelligentia et cogitatione separantur, idem esse censent. Nec enim aliud numerum quam res numeratas, cæcitatem, quam cæcum esse ipsis placet. Hi scientiam quoque potissimum de dictionibus, et nusquam nisi in animi notionibus atque rationibus esse docent. Conf. IOACH. CAMERARIVS in *vita Melanchthon. p.* 22. ubi ex instituto quoque utriusque sectæ sententiam enarrat. Quod si tamen accuratius rem expedire, eorumque mentem inspicere animus est, cum Nominalium, tum Realium sententiæ inter se diffidentes distinguendæ sunt. Quod enim ad priores attinet, diversas eorum opiniones ita extulit, ad quem toties provocavimus, IO. SARESBERIENSIS in *Metalog. l. c. Naturam universalium omnes expediunt, et altissimum*

negotium et majoris inquiſitionis contra mentem auctoris explicare nituntur. Alius ergo conſiſtit in vocibus, (licèt hæc opinio cum Rocelino ſuo fere omnium evanuerit) alius autem ſermones intuetur, et ad illos detorquet, quicquid alicubi de univerſalibus meminit ſcriptum. In hac autem opinione deprehenſus eſt Peripateticus Palatinus Abælardus. - - Alius verſatur in intellectibus, et eos duntaxat genera dicit eſſe et ſpecies. Sumunt enim occaſionem a Cicerone et Boëthio, qui Ariſtotelem laudant auctorem, quod hæc credi et dici debeant notiones, etc. Ex quibus verbis colligitur I. Rucelinum univerſalia in meris vocibus, orisque halitu, proſcriptis etiam animi notionibus ſive ἐννοίαις habuiſſe. Id quod et epigramma in Rucelinum conditum ſuoque ſeculo dignum teſtatur apud AVENTINVM *l. c. p.* 396.

Quas Ruceline doces, non vult Dialectica voces,
Iamque dolens de ſe non vult in vocibus eſſe,

Res

Res amat, in rebus cunctis vult esse
diebus.
Voce retractetur, res sit, quod voce
docetur.
Plorat Aristoteles nugas docendo (leg.
rugas ducendo) *seniles,*
Res sibi subtractas per voces intitu-
latas
Porphyriusque gemit, quia res sibi
lector ademit.
Qui res abrodit, Ruceline, Boëthius
odit:
Non argumentis, nulloque sophisma-
te sentis,
Res existentes in vocibus esse ma-
nentes.

II. Abælardi sententiam non procul ab ea recessisse, dum in vocum constructione et conjunctione, id est, sermone universalia posuerit. III. Alios vero non tam in vocibus, quam in notionibus et conceptibus animæ ea collocasse. Vnde et hi Conceptualium nomen sortiti sunt, quemadmodum illi

Nominales propria significatione sunt dicti. Multum vero Reales inter se quoque erant diversi, quod iterum SARESBERIENSIS indicio constat. Ita enim *l. c.* pergit: *Eorum qui rebus inhærent, multæ sunt et diversæ opiniones. Siquidem hic ideo, quod omne, quod unum est, numero est, aut rem universalem, aut unam numero esse, aut omnino non esse concludit. Sed quia impossibile, substantialia non esse, existentibus his, quorum sunt substantialia, denuo colligunt, universalia singularibus, quod ad essentiam, unienda, duce Gautero de Mauritania. - - Ille ideas ponit, Platonem æmulatus, et imitans Bernardum Carnotensem, et nihil præter eas genus esse dicit vel speciem. Porro alius, ut Aristotelem exprimat, cum Gilberto Episcopo Pictaviensi* (alias Porretanus dicitur) *universalitatem formis nativis tribuit, et in earum conformitate laborat. Est autem forma nativa, originalis exemplum, et quæ non in mente DEI consistit, sed rebus creatis inhæret. - - Est et alius, qui*

cum

cum Gausleno Suesionensi Episcopo, universalitatem rebus in unum collectis attribuit, et singulis eandem demit. Est aliquis, qui confugiat ad subsidium novæ linguæ, quia peritiam latinæ non satis habet, universalia enim rerum maneries interpretatur. Nec deest, qui rerum status attendat, et eos genera dicit esse et species. En sex Realium sententias, quæ commode tamen ad quatuor reduci possunt, quarum una ideas abstractas pro universalibus et substantiis actu existentibus diverse supponit, altera ideas Platonis asserit, tertia formas Aristotelicas sive εἴδη rebus sensibilibus immersa pro universalibus habet, quarta Logica cum Physicis confundit. Cæterum IO. LALEMANDET in *decisionibus Philosophicis Monachii* 1645. *fol.* editis commendat MORHOF. Polyh. liter. *T. II. l. I. c. XIV. §.* 15. *p.* 89. seqq. tanquam utilissimum ad cognoscendam Nominalium et Realium sententiam, quem tamen videre et consulere non licuit.

§. V.

§. V.

Videas igitur Scholaſticos in veterum Philoſophorum caſtra transire, eorumque ſententias verborum et terminorum caligine obſcurare. Nominales enim ad Stoicos, Reales partim ad Platonicos, partim ad Ariſtotelicos referendi ſunt. Nec defuerunt, qui vel cum Rabbinis et Cabbaliſtis, vel cum Spinoza eos conferrent. (*k*) Quemadmodum et tota controverſia inter contentiones de vocibus (*l*) numerata eſt.

(*k*) Cum Rabbinorum commentis de rebus ex literarum ſiderearum influxu conflatis, quæ in libro *Zohar* et alibi traduntur, comparavit Nominalium doctrinam NICOL. CAVSSINVS *l. c.* cui Rucelinus eosdem Rabbinorum errores multis jam ſeculis intermortuos, et ab omnibus irriſos revocaſſe dicitur, hoc argumento, quod, ut Rabbinis perſuaſum fuerit, ex iſtis nomi-

nominibus ſcientiam oriri, ita et Nominales ſcientiam de nominibus habuerint; quod quam male mentem Nominalium exprimat, oſtendit THOMASIVS, qui *l. c. p.* 263. hunc Viri cætera ſatis accurate docti (quo titulo eum mactat) lapſum caſtigat. Cum Cabbaliſtarum Sephiroth vero Realium hypotheſin conferri poſſe monuit ANONYMVS, qui ad D. I. FR. BVDDEI *theſes de Atheiſmo et ſuperſtitione* in Vernaculam translatas pauca quædam annotavit, *c. I. §.* 23. Spinoziſmi vero Reales, imprimis Formales, reos agunt Vir meritis in Rempublicam literariam illuſtris PETRVS BAYLE *Dict. hiſt. crit. T. I. art. Abælard. p.* 19. *not. C.* et *art. Ceſalpin. p.* 828. *not. C.* edit. noviſſ. et poſt eum, quem modo nominavimus, Vir ſummus I. F. BVDDEVS in *diſſ. de Spinoziſmo ante Spinozam §.* 17. *Analect. Philoſoph. p.* 339. ſeq. qui obſervant, eos, dum re ipſa et citra intellectus operationem univerſalia exiſtere contendebant, adeoque omnia individua de

una

una eademque essentia non specie sed numero tali participare credebant, idem docuisse, quod Spinoza asseruit, omnium rerum unam eandemque esse essentiam, unamque adeo in hoc universo dari substantiam. Quæ comparatio facile quoque admitti potest, si cum iis, quæ supra ex Saresberiense de Gauteri hypothesi dicta sunt conferantur, quæque de Præceptore suo Guilielmo Campellensi ipse tradit ABAELARDVS *loco supra citato. Erat*, inquit, *in ea sententia de communitate universalium, ut eandem essentialiter rem totam simul singulis suis inesse astrueret individuis, quorum quidem nulla esset in individuis diversitas, sed sola multitudine accidentium varietas.* Opportune tamen addit Celeb. BVDDEVS, paucos ex Scotistis veram magistri mentem perspectam habuisse, multo minus vidisse, quæ ex ea sententia sequerentur dogmata absona et plane impia. Conf. EIVSD. *theses de Atheismo et superstit. c.I. §.23.*

(*l*) Ita

(*l*) Ita Celeb. SAMVEL WERENFELS. in aurea dissertatione *de Logomachiis erudit. c. II. Opp. p.* 466. contendit enim, *Reales non admisisse substantiam a parte rei ita, ut eam neque spiritum, neque corpus, neque aliam substantiam quamcunque, sed simpliciter substantiam dicerent, quod tamen unum Nominales impugnaverint. Nominales porro in ipsis rebus admisisse substantias, quae sunt in rerum natura, neque docuisse, quod plane non existant, quod tamen solum riserint Reales.* Id quod de parte quadam Scholasticorum admitti facile potest, vix tamen de iis, qui in Stoicorum ex una, et Platonicorum ex altera parte sententia versati sunt, multo minus de iis, quos Spinozismi ante Spinozam reos agi observavimus. Quos posteriores sine dubio intelligit acutissimus CLERICVS, quando *Logic. P. I. c. 6. §.* 10. Scholasticos nonnullos castigat, quod ideas simplices abstractas seorsim esse putarint, ita ut concluserint, humanitatem esse aliquid in singulis homini-

minibus ab iis diſtinctum. Quæ certe mens plerorumque Realium fuit, a Nominalibus tanto fervore rejecta.

§. VI.

In reliquis, quæ ad intellectus primam, quam vocant, operationem pertinent, a Scholaſticis nihil ab Ariſtotele eſt diſceſſum, niſi quod ineptis diſputationibus circa interpretationem magiſtri plerumque λογομαχέσαις libellos Logicos et ſcholas repleverint. (*m*) Nec meliora multa usque ad auſpicatam Philoſophiæ παλιγγενεσίαν deprehendere licet, etiamſi nunquam defuerint, qui meliora dare ſunt conati. (*n*)

(*m*) Videndus omnino, qui eruditorum de hac re teſtimonia diligentiſſime et multa accuratione collegit ADAM. TRIBBECHOVIVS *de Doctoribus Scholaſticis c. II. §. 1. 2. p. 43.* ſeqq. quocum conferenda, quæ in *præfatione novæ editionis p.* 20. ſeq. dixit Eruditiſſimus

ſimus HEVMANNVS. Paucis eleganter multa pronunciavit WERENFELSIVS *l. c. p.* 478. qui rectiſſime ad λογομαχίας refert plerasque Dialecticorum controverſias de numero et ordine categoriarum, de numero et ordine prædicabilium, quæ ad categorias referenda, quæ inde excludenda, et quæ ſunt alia.

(*n*) Inter emendatores Logicæ, et, quæ huc pertinet, doctrinæ de ideis, voluntate magis quam ſucceſſu referendi ſunt Laurentius Valla, Marius Nizolius et Petrus Ramus. Quorum primus decem Ariſtotelis categorias ad tres reduxit, et Philoſophiæ tum florentis inſanam barbariem vehementer exagitavit, male propterea habitus, vid. RAPIN. *rèflex. ſur la Logique p.* 381. ſeq. Alter vero ad id animum viresque adplicuit, ut omnibus ſui temporis Philoſophis una cum ipſo Ariſtotele bellum indiceret, in libro *de veris principiis et vera ratione philoſophandi*, ſupra jam nomi-

nato. In hoc libro in Nominalium partes transire visus est. Notat tamen MORHOFIVS *Polyhist. lit. T. II. l. I. c. 13. §. 23. p. 81.* eum in universalium doctrina ab ipsis Nominalibus discrepare, ut aliam plane sententiam proponat; universalia enim tantum habere pro collectione singularium, seu inductione, quod non dicant Nominales. Et recte, si sententiam partium potius, quam rei naturam consideres. Nam Gauslenum, qui et Ioscellnus dicitur, Episcopum Suessionensem ex Realium secta hanc tenuisse hypothesin, paragrapho praecedente ex Saresberiense didicimus, licet vix Nominales ejusmodi universalia, quae collectione singularium sive inductione in animo formantur, negare potuerint, quare etiam haec Realium sententia inter λογομαχίας recte refertur. Majori applausu in doctrina de praedicamentis et universalibus res novare, et Aristotelis placita convellere conatus est Petrus Ramus, cujus ob id studium fata accurate enarrat

rat IO. LAVNOIVS *de varia fortuna Aristotelis in Academia Parisiensi c. XIII. p.* 245. seqq. edit. noviss. In doctrina enim de prædicabilibus multa aliter distribuit, eaque per totam Dialecticam adhiberi vult, vid. *Animadvers. Aristotel. l. III. p.* 60. seqq. edit. Parisiensis 1548. publicatæ. Eodem vero loco, ut hæc obiter notemus, *p.* 62. mentem quoque suam de lite Nominalium et Realium ita explicat: *Porphyrius in proëmio operis quæstiones de genere et specie, ab instituto, ut fatetur, alienas, proponit, an genera et species subsistant, an in nudis intellectibus posita sint, sive, subsistentia corporalia sint, an incorporalia, et utrum separata a sensibilibus, an in sensibilibus posita, et circa ea consistentia. Quibus quæstionibus crucem fixam esse credas, ad torquendos eos, qui Porphyrio erudiendi traderentur, ex re tamen admodum futili. Quid enim facilius, quam dicere, vocabulorum significationes et notiones animo contineri, res significatas extra esse? Libro IV. p.* 86. seqq. vero in

 præ-

prædicamenta Ariſtotelis exſurgit, et non ſine orationis gravitate ea caſtigat, numerum decenarium ad trinarium reducens, conf. *p.* 150. Quia tamen omnem Dialecticès vim ad ſolam facunde dicendi et ornate differendi finem adhibuit, mirum non eſt, quod meliora non dederit. Tandem Philippus Melanchthon, Vir in tantum laudandus, in quantum eruditio et pietas intelligi poſſunt, ab incumbente tergumque ac colla premente Scholaſticorum barbarie ut omnem Logicam, ſic et primam ejus partem liberavit et purgavit, ita tamen, ut ab Ariſtotelis ſenſis placitisque non recederet. Quo factum eſt, ut plerique, usque ad Carteſii tempora Ariſtotelem ducem ſequerentur, donec tandem clarior lux emicuit, et purior utiliorque de ideis doctrina fuit propoſita, ad cujus enarrationem jam properamus.

SECTIO

SECTIO III.

De placitis Philosophorum recentiorum circa ideas.

§. I.

TANDEM ad eos pervenimus, qui recentiori tempore vel nova moliti et secuti sunt, vel sectariæ Philosophiæ jugum generoso conatu excusserunt, et rationem atque experientiam duces elegerunt, quibus ad veritatem viam invenirent proximam et certissimam. Alia vero jam prodit rei facies, et mutata in melius suæque sedi restituta idearum consideratio. Proscriptis enim ex scientiæ naturalis circulo omnibus ignorantiæ asylis, incertisque et obscuris principiis, ideæ quoque Platonicæ, dudum jam explosæ, et formæ quoque substantiales, tantopere a recentioribus Peripateticis deama-

tæ, (*a*) et tanquam Palladium physicæ doctrinæ cultæ exulare jussæ sunt. (*b*) Tota vero de ideis tractatio ad rationalem Philosophiam, quæ intellectus naturam et operationes expendit, reducta est, licet non defuerit, (*c*) qui certo modo omnem, quam vocamus, primam mentis operationem rejecerit. Logicorum itaque recentiorum meditationes nobis delibandæ sunt, delibandæ tamen (*d*), non prolixa tractatione devorandæ, ne in ubique obviis hærentes moremur, portumque anhelantibus simus graves.

(*a*) Quam vehementi amoris desiderio recentiores quoque Peripatetici, vel potius Scholastico-Aristotelici formas substantiales deperierint, exemplo potest esse Gisbertus Voëtius. Cum enim Cartesii partes amplexus esset Henricus Regius, et ad ejus mentem in publica disputatione præter alia, a

recepta

recepta tum temporis Philoſophia abeuntia, formas quoque ſubſtantiales exagitaſſet, Voëtius mox Theologiæ cultores in Academia Vltrajectina tum temporis morantes a Regii lectionibus tanquam fidei et religioni adverſis eſt dehortatus, novasque theſes conſcripſit, in quibus, quod, ut reliqua, ſic et formarum ſubſtantialium negatio Scepticiſmo et Atheiſmo viam pandat, aſſerere non erubuit. Et cum Regio pro adverſarii ſui et temporis conditione id commodiſſimum fuiſſet viſum regerere, in Vltrajectina Academia ante ipſum inſuper habuiſſe formas ſubſtantiales Davidem Gorlæum, eidem quoque una cum Taurello, Atheiſmi accuſato, dicam ſcripſit Voëtii zelus. Ait vero: *Quicquid ſit de ſumma rei, quam Philoſophorum diſquiſitioni relinquimus, hoc unum ſaltem hypomnema ſtudioſis noſtris ſubjicimus: Achillei argumenti iſtius, quo formas explodere conantur, conſequentiam ſuſpectam habeant, quæ eſt hæc: Negatur eſſentia et exiſtentia formarum, quia*

earum origo, ſeu modus originis incertus eſt, aut explicari non poteſt, ſic ut patroni formarum et ſibi et aliis in eo ſatis faciant. Hoc periculoſo axiomate ſemel hauſto proclive erit vanitati, ſcepticiſmo, et petulantiæ humani ingenii diſputare, non dari animam rationalem, proceſſum perſonarum divinarum in Trinitate, incarnationem IEſu Chriſti, peccatum originale, miracula, etc. Nec circa hæc ſubſtitit Voëtii indignatio, ſed omnem prorſus movit lapidem, ut a Regio docendi munus auferretur, et nova Philoſophia prohiberetur. Id quod prolixe enarrat ADRIAN. BAILLET dans *la Vie de Mr. des-Cartes T. II. l. VI. c.* 6. ſeq. *p.* 145. ſeqq. et dans *l'abregé de la vie de Mr. des-Cartes l. VI. c.* 6. *p.* 195. ſeqq. add. BAYLE *Diction. hiſt. crit. Tom. II. artic. Gorlæus p.* 1285. *not. A.*

(*b*) Fecerunt hoc plerique, qui obſcuras et incertiſſimas Ariſtotelis et ſequacium, magiſtrum ineptiis longe ſuperan-

perantium hypotheſes rejecerunt, præcipue vero corpuſcularis Philoſophiæ aſſertores. Nominarique poſſunt præter juratos totius Peripateticæ doctrinæ hoſtes Franciſcum Patricium, Petrum Ramum et Petrum Gaſſendum, Sebaſtianus Baſſonus, Nicolaus Taurellus, David Gorlæus, Ioannes Baptiſta Morinus, Emanuel Maignanus, aliique. Tum Carteſiani omnes, quorum anteſignanus, ut erat tempori inſerviendo admodum aptus, ita de formis ſubſtantialibus modeſte ſenſit, ne crabrones irritaret, Regiumque, nimis aperte eas improbantem, ſentire voluit. *Qu'étoit-il neceſſaire*, verba ejus ſunt, *que vous allaſſiez rejetter ſi publiquement les formes ſubſtantielles, et les qualitez réelles? Ne vous ſouvenez-vous pas, que j'avois declaré en termes exprès dans mon traité de meteores, que je ne pretendois pas les nier: mais ſeulement qu'elles ne m'étoient pas neceſſaires pour expliquer ma penſée, et que je pouvois ſans elles faire comprendre mes raiſons.* vid. BAILLET

Abregé l. c. p. 201. Multo vehementius apertiusque formas has rejecerunt ipsius discipuli et sectatores, ex quibus videndi ADR. HEREBORD. in *Philos. natur.* NICOL. MALEBRANCHE *de la recherche de la verité* passim, præcipue *l. VI. ch.* 3. *T. II. p. m.* 174. seqq. ubi eas tanquam periculosissimum errorem multis refutat, IO. BAPT. DV-HAMEL *de manifestis et occultis corporum affectionibus.* Eandem viam ingressi sunt et alii in Cartesii verba et Philosophiam non jurantes; vid. BAYLE *Dict. Histor. Crit. T. III. art. Morin. p.* 2018. *not. M. Tom. IV. art. Zabarella p.* 2900. *not. F. T. I. art. Cainites p.* 718. *not. D.* IO. PHIL. DE CROVSAZ *Logique T. II. P. I. Sect. III. ch.* 4. *p.* 917. Rejecto itaque obscuro principio, cujus præter terminos æque obscuros et æquivocos nulla dari potest demonstratio, de alio cogitarunt recentiores Philosophi, quo differentiæ corporum inter se discernantur. Supponentes igitur communem esse omnibus corporibus substan-

tiam

tiam extenſam, ſolidam, diviſibilem, mobilem et figurabilem, omne diſcrimen oriri ex varia hujus materiæ diſpoſitione contendunt, quoniam illa materia in tenuiſſimas partes dividi, et ex vario illarum particularum motu ſituque corpora diverſiſſima oriri poſſint. Quare omnium corporum formam in varia diſpoſitione particularum ponunt, eamque non ſubſtantiam ſed accidens eſſe judicant. Cujus fidem nobis facit Chemia, quæ ignis miniſterio particulas reſolutas et varie iterum unitas in plurimas ſpecies refingit, id quod accuratiſſime et ad oculum demonſtravit ſagaciſſimus naturæ ſcrutator ROBERTVS BOYLE in libro *de origine formarum et qualitatum* Oxonii 1667. edito. Conf. IO. CLERICVS *Phyſic. l. V. c.* 6. qui luculenter more ſuo cuncta in compendio exponit. Fuerunt quidem, qui in his quoque corpuſcularis Philoſophiæ placitis circa formas rerum earumque originem non acquieverunt, et vel ſpiritum ali-

quem

quem ἀρχαῖον, ὑλαρχικὸν et univerſalem, vel entia certa a Deo immediate creata, quæ etiam extra materiam et ſubjectum ſuum exiſtere poſſunt, (quæ IO. MARCI MARCI in libris *de veteri Philoſophia* et *de ideis operatricibus* ſententia fuit) vel lucem primævam, et quæ ſunt alia, in ſubſidium vocarunt; quibus tamen non immoramur, cum ea, a noſtro inſtituto nimis remota in Phyſices Hiſtoria ſoleant enarrari. Conferri vero poteſt, qui diligenter in hoc ſtadio decurrit D. G. MORHOFIVS *Pol. lit. Tom. II. L. II. P. II. c.* 1. *§.* 7. ſeqq. *p.* 274. ſeqq.

(*c*) Illuſtris CHRISTIAN. THOMASIVS *Introduct. in Philoſ. aulic. c. V. §. 9. Inſtitut. Iurisprud. div. l. I. c. I. §.* 46. ubi contendit primam mentis operationem, quæ circa ideas verſatur, aut ad ſenſus pertinere, ubi non detur mentis operatio, aut plane non dari, ita, ut judicio opponi poſſit: quoniam, qui ideam apprehendit, ſimul judicat,

dicat, esse id, quod dicitur. Opposuit se huic sententiæ GOTTL. GERH. TITIVS in *arte cogit. c.V. §.* 16.seqq. *p.* 86. seqq. his potissimum argumentis, quod, negata prima mentis operatione, idearumque apprehensione simplici, reliquæ quoque operationes interire videantur; cum res inter se conferre non possit intellectus, nisi singularum ideas antea fuerit consecutus: quod sine affirmatione et negatione in contemplatione rerum hæreat imago, nec idem sit, eadem de se ipso prædicare, id est, percipere, et ideas sive res diversas componere: quemadmodum et partes ideæ compositæ inter se non conferuntur, sed apprehenduntur et percipiuntur simpliciter. Neutram vero hic operationem sejungi posse ab altera, mens est Cel. NICOL. HIER. GVNDLINGII, in *Via ad Verit. ration. c.I. §.* 11. 12. *p.* 5. 6. Missam tamen fecit hanc opinionem illustris Vir, quia eam cum reliquis, quæ de operationibus mentis dici solent, pro inutili

et

et obſcura habet. Vid. EIVS *Introd. in Philoſoph. rational. c. III. §. 70. p. 35.*

(*d*) Multa de ideis tradiderunt noſtræ ætatis rationales Philoſophi, quæ omnia fuſe enarrare, eſſet inſtitutiones Logicas conſcribere, ac extra oleas, et quos nobis fiximus, terminos vagari. Hinc ea, quæ ubivis obvia ſunt, quæque in Logicis eruditorum meditationibus frequenter occurrunt, omittentes, inſigniora tantum, et illa quidem præcipue enarrabimus, quæ præſtantiſſima et acutiſſima noſtrorum temporum ingenia in partes ire coëgerunt.

§. II.

Quid idea ſit, ſatis quidem inter omnes convenit, (*e*) unde vero ideæ oriantur, difficilior eſt et multorum indagine vexata quæſtio. Vti enim externorum ſenſuum opera-

operatio occasionem, nemine contradicente, idearum origini subministrat; (*f*) ita cum causa generationis idearum non confundenda est. Quæ vero illa sit, tam obscurum est, ut, multis productis et examinatis sententiis, (*g*) tutissimum prudentioribus videatur, judicium suspendere, et modeste suam profiteri ignorantiam. (*h*)

(*e*) Per ideam intelligunt recentiores Philosophiæ rationalis magistri, id quod in mente est immediate dum cogitat. Videatur IOANN. LOCKIVS, cui in hoc eruditionis genere doctrinaque nemo palmam dubiam reddit, dans *l'Essais concernant l'entendement humain L. II. ch. I. §. 1. p. 93.* versionis Gallicæ a Petro Costæo summa accuratione factæ. Quocum consentit MALEBRANCHE *de la recherche de la verité T. I. P. II. c. 1. §. 1. p. 321.* add. IO. CLERICVS *Logic. P. I. c. 1. §. 1.* et *Pneumatolog. Sect. I. c. V. §. 2.* D. BVDDEVS

DEVS *Elem. Philos. Instrum. P. II. c.* 1. §. 5. et plerique alii.

(*f*) Exposuit hoc accurate LOCKIVS *l. c. p.* 95. seqq. qui ad quæstionem : quomodo homo acquirat ideas? proscriptis ideis innatis respondet, id fieri per experientiam : et quicquid habet mens idearum, id ei observatione vel objectorum externorum et sensibilium, vel internorum, quæ propria reflexione sive attentione animi ad se ipsum gignuntur, subnasci. Verba Gallica potissimum huc spectantia hæc sunt: *Nos sens font entrer toutes ces idées* (sensibles) *dans nôtre ame, par où j'entens, qu'étant frappez par les Objets exterieurs, ils excitent dans l'ame ce qui y produit ces sortes de perceptions. - - - L'autre source d'ou l'entendement vient à recevoir des idées, c'est la perception des operations de nôtre ame sur les idées, qu'elle a reçuës par les sens, operations qui devenant l'Objet des reflexions de l'ame produissent dans l'entendement une autre espéce*

espéce d'idées, que les objets exterieurs n'auroient pû luy fourner, telles que sont toutes les differentes actions de nôtre ame. Quæ observatio ut experientiæ maxime est conveniens, ita toti controversiæ de origine idearum accendit lucem. Cognita enim diversa idearum internarum et externarum natura, quarum illæ nihil sunt nisi anima certa ratione modificata, ut ita dicam, et affecta, vide MALEBRANCHE *l. c. l. III. ch. I. T. I. p.* 323. cognita quoque occasione ideas externas subministrante, facile jam patescit, de quo proprie quæratur, scilicet, quid sit illud, quod producit id genus perceptionum idearum sensibilium, ut Lockii verbis modo adductis loquamur.

(*g*) Multæ sunt eæque diversissimæ inter se de origine idearum sententiæ, quarum nulla fere quidem suis argumentis destituitur, omnes tamen ita comparatæ sunt, ut majori probabilitate destruantur, quam affirmentur.

Et Aristotelicorum quidem de specierum origine hypothesis vix digna est, quæ referatur, adeo omni caret verosimilitudine. Putant enim objecta ex se emittere species sibi similes, quas a sensibus externis ad sensum communem et ab eo ad phantasiam translatas vocant species impressas, ab actione scilicet objectorum externorum. Materiales vero cum illæ species sint, intelligibiles et spirituales quasi ab intellectu activo reddi, ut ab intellectu postea passivo cognosci expendique possint, et veritatem mens colligere queat, quo facto demum vocant species expressas. Vid. IAC. THOMASIVS *Physic. c. XLIX.* §. 102. Videas tamen eos haud raro in numero harum intellectus potentiarum et operationum dissentire, licet in emanatione specierum ab objectis externis plerique conveniant. Quam absurda vero hæc hypothesis viris emunctioris naris et accuratioris judicii visa fuerit, dici vix potest. Nam, ut solide observarunt et demonstrave-

runt,

runt, ex ea sequeretur, tot myriadas specierum, materia homogenea non destitutarum ex se emittere objecta, quod tamen sine tota tandem eorum destructione fieri non posset, si quotidie tot sui species ex se emitterent. Laborare quoque hac absurditate monent, quod tot uniuscujusque objecti ideæ in uno quasi puncto organorum sensoriorum, v. g. nervorum opticorum ita conjungerentur, ut capi non possit, quomodo eæ species omnes locum habere et a sensibus admitti queant. Vt jam taceamus intellectum illum duplicem variasque ejus facultates a mente nostra seria quamvis attentione nullibi deprehendi, vel cognosci; unde merito explosa est hæc Peripateticorum sententia. Vid. MALEBRANCHE *de la recherche de la verité l. III. ch. 2. T. I. p. 325.* seqq. qui accurate commenti hujus absurditatem demonstrat. Add. IO. CLERICVS *Pneumatol. Sect. I. c. 5. §. 6,* seqq. IO. IAC. SYRBIVS *Institut. Philos. prima c. V. §. 3. p. 110.* sqq.

Relicta igitur suis amatoribus hypothesi Aristotelica, de melioribus cogitarunt Philosophi. In eam vero quidam descenderunt sententiam, mentem percipere quidem occasione tantum quorundam cerebri motuum, ipsam vero producere ideas et creare. Cujus rei ratio mox ex analogia hominis creati ad imaginem divinam, mox ex divino concursu supernaturali, mox ex æternis legibus inter corpus et animam, et ex harmonia quadam præstabilita derivatur. Primam opinionem quibusdam tribuit MALEBRANCHE *l. c. ch.* 3. *p.* 328. altera est HERM. ALEXANDRI ROELLII in *vindiciis pro innatis ideis contra Dn. de Vries Sect. V.* §. 57. *p.* 458. et MICH. GOTTLIEB. HANSCHII *de Enthusiasmo Platon. Sect. VII.* §. 45. *p.* 138. seq. cujus verba, ut mens ejus clarius constet, ipsa damus: *Etsi motus*, inquit, *a corporibus organis sensoriis impressus et ad cerebrum translatus nihil commune habeat cum perceptionibus et cogitationibus mentis, quæ*

ad

ad illum in eo momento in anima excitantur; has tamen excitare valet vi ordinationis divinæ, quæ fuit, ut intervenientibus certis corporis motibus, certi cogitandi modi in mente excitarentur. Et mens etiam ipsa virtute hac necessario debet esse prædita: utut enim quolibet instanti a DEO *reproducatur, quod necessarium conservationis divinæ, quæ in continua quadam et nova rerum creatione consistit, consequens est, non repugnat tamen operationes menti tribuere proprias. - - Actiones igitur cogitativæ nullam aliam causam proximam agnoscunt, quam mentem humanam, quatenus est substantia cogitans; quamvis interim modum, quomodo id salvo priori asserto fieri possit, ignoremus.* Conf. Celeberr. IO. IAC. SYRBIVS *Institut. Philos. primæ P. I. c. V. §. 2. p.* 108. seq. qui statuit, *intellectui hoc datum divinitus, ut ideam producat, et attentione cum objectis suis uniri queat.* Tertio denique modo difficultatibus se expedit magnus nostri seculi Mathematicus et Philosophus GODOFR. GVIL.

LEIBNIZIVS in *Epiſtola ad Cl. Hanſchi-um*, laudato ſchediaſmati *de Enthu-ſiaſmo Platonico* præmiſſa. Poſtquam enim in Platonis ſententiam admodum conſenſit, addit: *Mentem noſtram, etſi a DEO continue in exiſtendo agendoque dependeat, ut omnis creatura, puto ta-men non indigere peculiari ejus concurſu legibus naturæ ſuperaddito ad perceptio-nes ſuas; ſed cogitationes poſteriores ex prioribus inſita vi deducere, ordineque a DEO præſcripto. Quod ego etiam ad perceptiones ſenſibilium extendo. Cum enim nec a DEO infundantur miraculoſe, nec a corporibus immitti poſſint naturali-ter, conſequens eſt, ut per harmoniam initio præſtabilitam in animo certa lege naſcantur.* Premunt tamen has quo-que ſententias alii validis objectioni-bus. Vrget enim prolixeque deducit MALEBRANCHIVS *l. c. p.* 332. ſeqq. ita adſcribi animæ facultatem creandi producendique entia ſpiritualia, et qui-dem ſapienter, accurate et eleganti ordine, quæ certe potentia enti creato; quod-

quodque, quantum quantum eſt, a Deo dependet, minime convenit. Accedere porro, quod mens hujus facultatis ſuæ prorſus ſit ignara, nec etiam modum noſcat, qua ratione ideas producat, quibusve regulis diſcernat ideas motui cerebri reſpondentes, quem tamen ipſa mens non ſentit, neque, qua ratione excitandus ſit, cognoſcit. Ignorare porro animam, quæ ſit connexio inter deſiderium ſuum et ideam excitandam, et, quod ad idem recidit, quod ſit illud fœdus animæ et corporis. Vid. CLERICVS *l. c.* §. 9. Vnde hos quoque ex eadem ratione harmoniam initio præſtabilitam pro ſuppoſito nondum probato mentisque experientiæ plane ignoto habere neceſſe eſt. Tertiam ſententiam fovit Antonius Arnaldus, præter multas, quibus ingenium calamumque exercuit, controverſias et ex illa notus, quam cum Malebranchio de veris et falſis ideis habuit. Ille enim, ut argumenta Malebranchii eo fortius everteret, peculiarem ſenten-

tiam defendit, asseruitque, ideas earumque perceptiones esse unum idemque, et non nisi relationibus differre. Ideam scilicet esse, quatenus ad objectum refertur, quod mens considerat, perceptionem vero, quatenus ad ipsam mentem, quæ percipit, duplicem tamen illam relationem ad unam pertinere mentis modificationem. Ne vero satis clara locutio, quod ideas mens percipiat, opponatur, secundum quam aliud est objectum perceptionis, aliud ipsa perceptio, observat improprie hanc locutionem, et a rebus corporeis desumtam esse, idemque re ipsa significare, ac motum in cerebro per præsentiam objectorum externorum excitatum percipi. Non minoribus vero hæc quoque hypothesis obsepta difficultatibus plerisque eruditis visa est. Antequam enim eam defendendam susceperat Arnaldus, tanquam incommodam rejecit MALEBRANCHIVS *l. c. c. V. p.* 337. seqq. quod sensationes animæ, quæ nihil aliud sunt, quam ejus

ejus certa modificatio, cum perceptionibus objectorum, quæ ſunt extra nos, confundantur. Addit Cl. CLERICVS *l. c.* §. 11. impoſſibile eſſe, ut ſic ſatis diſtinguamus quæ ſunt tantum in nobis, cum iis, quæ foris ſunt: Quemadmodum dolorem pungente acu excitatum intra nos eſſe ſentimus, montem vero, quando eum contemplamur, extra nos eſſe, non in mente noſtra, ſatis clare percipiamus ſimusque nobis conſcii. Id quod in contentione, quam cum Arnaldo Malebranchius aluit, prolixius hic demonſtravit. Quarta ſententia, ut tot ſe difficultatibus ſubducat, DEum quaſi ex machina producit, et ideas vel nobiscum eſſe a DEO immediate creatas, vel occaſione præſentis objecti demum creari vel infundi variis modis et limitationibus aſſerit. In quam ſententiam ex Carteſianis ii deſcenderunt, qui ideas innatas, de quibus poſtea, aſſerunt, quique omnem motum realem a DEO occaſione objectorum ex-

ternorum excitari ſtatuunt. In his nomen profitetur BERNARD. CONNOR in *Evangelio Medici artic. XV. p. m.* 144. Poſtquam enim leges inter animam et corpus ſtabilitas recenſuit, nimirum, quod juxta peculiares in humano corpore motus peculiares in anima excitentur ideæ, et vice verſa; addit: *Hi autem reciproci affectus et effectus ab anima ipſa aut a corpore vere non producuntur, ſed ab illo ſolum, qui leges has inter utrumque pepigit. Illius enim ſolius eſt, legum tenorem conſervare, et legum mandata exequi, qui leges condidit; ac proinde ſupremus legislator non erit duntaxat motus corporum et effectuum eorundem cauſa unica, ſed etiam cogitationum animæ, ſaltem primigeniarum, perceptionum et ſenſationum omnium immediatus author. Primæ, inquam, rerum ideæ nobis ad præſentiam rerum ipſarum per quinque ſenſuum organa cœlitus infuſæ ſunt.* Quod ut diſtinctius explicet, primum quidem exemplo illuſtrat, mox vero addit: *Quamvis autem*

tem ſpiritus noſter primarias rerum ideas ſibi ipſi inſitas quavis vi aut virtute propria formare non valeat, ſed illas tantum ex ſtatuta lege aliunde advenas paſſive recipiat, receptas tamen ideas ſimul aſſociare, a ſe disjungere, in rationis formam illas connectere, unam ideam ex alia inferre, unum velle, aliud nolle, hanc propoſitionem admittere, illam rejicere poteſt. Non procul ab hac claſſe ex parte locanda eſt ſententia illuſtris LEIBNIZII in *Epiſtola ad Hanſchium ſupra laudata*, ubi inter alia: *Quævis mens, ut recte Plotinus, quendam in ſe mundum intelligibilem continet, imo mea ſententia et hunc ipſum ſenſibilem ſibi repræſentat. - - Sunt in nobis ſemina eorum, quæ diſcimus, ideæ nempe, et quæ inde naſcuntur æternæ veritates: nec mirum, cum ens, unum, ſubſtantiam, actionem, et ſimilia inveniamus in nobis, et noſtri conſcii ſumus, ideas eorum in nobis eſſe.* Hiſce ideis a Deo nobis inditis, vim addit menti inſitam et ob harmoniam præſtabilitam illi donatam, ex cogitatio-

rationibus prioribus posteriores deducendi, ut modo diximus. Praeterea plures quoque in Belgio fuisse repertos, systematis caussarum occasionalium, a quo tamen systema harmoniae praestabilitae differt, patronos, qui aperte professi, mentem nostram virtute ideas producendi non esse praeditam, statuerint, nos a DEO per immediatum divinitatis omnia repraesentantis in mentem illapsum ideas accipere, et de rerum veritate edoceri, auctor est MELCHIOR LEYDEKKERVS *Exerc. de orig. Error.* §. 66. seqq. annex. *verit. Evang. triumph.* apud HANSCHIVM *l. c. sect. VII.* §. 43. *p.* 135. Quae magnam quoque cum Malebranchii sententia habent cognationem. Alio modo PETRVS POIRETVS (huc enim, quae de ardua hac quaestione disputata sunt, cumulare licet) *Cogitat. rational. de DEO, anima et malo l. III. c.* X. §. 26. *p.* 410. asserit, *DEum non in se habuisse ab aeterno omnes ideas, sed iis carere potuisse, si voluisset, adeoque excogitavisse*

ex placito suo sine necessitate erga se rerum ideas prout ipsi libuit. Quibus haud obscure quidem creationi idearum favet; eæ tamen quod intellectui passivo per divinam illuminationem immediate infundantur, et realitatibus immensis in fundo intellectus, ut loqui amat, communicentur, prolixius persuadere nobis conatus est, in *vera methodo inveniendi verum*, præfixa tr. *de eruditione triplici P. I.* passim, imprimis *§. XLIV. p. m.* 67. Ibi enim de fonte idearum, idea DEI, sermonem instituens, *DEus*, ait, *solus est, qui se intellectui creato insinuans et uniens, formam sui vividam et efficacem ei imprimat, eumque ita investiat, et superinduat, quantum quidem ab omnipotente fieri potest in subjecto creato, DEI admittendi receptivo et capaci.* Ab hac idea DEI tanquam centro ac fundo ad reliquas progressus ita pergit: *Quando agitur de intellectu vivide et efficaciter instituendo sive induendo formis rerum naturalium, vel ipsius intellectus natura et dignitate inferio-*

feriorum, intellectus tamen sua sola activitate ad hoc ipsum ineptus est, sed jungatur oportet ea moles corporea, cui unitus est, rerum ipsarum objectis, vel earum effluviis, quæ in illam molem agant; et tunc per vim, qua DEus res uniri, certisque ac mutuis in sese pollere potentiis voluit, immutatur intellectus in formas rerum, quatenus illæ ad ipsum cum corporibus unitum spectant. Vbi in mira hac hypothesi sententiarum hactenus allatarum peculiarem conjunctionem quandam animadvertere licet. Tandem et quod ad ideas seu formas rerum pictas et umbratiles attinet (militat enim hac quoque distinctione, ut sæpius, Poiretus in Platonis castris) ibi intellectus activitate, potentia industriaque et contentione sua potest se vertere in illas formas, non equidem reales et veras sed pictas. vid. *§. XLIII. p.* 69. Cæterum ex toto Poiretianæ Philosophiæ et Theologiæ systemate a regia via abeunte diductius explicanda hæc locum hic non capiunt, et satis ex addu-

adductis mens ejus constat. Conferri tamen debent, quæ in dissertatione philosophica: *Vera cognita prima, sive de natura idearum ex origine sua repetita et asserta, et adversus Cl. Abr. Pungelerum Hist. S. et Theol. P. P. defensa*, prolixe disputat. Varias has et diversas inter se opiniones, in eo tamen convenientes, quod menti idearum primariarum productionem denegent, et ad DEum referant, multis modis aliis displicuisse quoque, facile quilibet conjicere poterit, qui incertas hypotheses gratis et non probata prius existentiæ veritate assumi, et inconvenientia multa ex iis oriri cogitaverit. Itaque non mirandum, Enthusiasmum quoque objici causarum occasionalium defensoribus, vid. HANSCHIVS *l. c.* §. 43. *p.* 135. HERM. AB ELSWICH. diss. *de recentiorum de anima controversiis* §. 21. *p.* 29. seqq. et difficultates non minores, quam in reliquis hypothesibus occurrunt, imputari harmoniæ præstabilitæ. vid. Cl. SYRBIVS in *Philos. prima P.*

II.

II. c. VII. §. 9. p. 509. et tandem creationem tot entium, quot ideæ quotidie et quovis momento infinite occurrunt, quæ miraculum quotidianum infert, sapientiæ ordinique DEI ejusque simplicissimo agendi modo opponi; vid. MALEBRANCH. *l. c. c. IV. p.* 335. seqq. Consideratis igitur tot hypothesibus, et expensis accurate atque diligenter examinatis earum difficultatibus, ad alia, eaque, ut sibi videbantur, speciosiora multum et probabiliora delapsus est inquirendæ veritatis auctor acutissimus, Nicolaus Malebranchius, quæ eo magis amplexus, veræque viæ insistere se ratus est, postquam Augustinum eandem sibi munivisse viam observavit. Id quod ingenue fatetur dans *la premiere lettre contre la defense de Mr. Arnaud p.* 14. ubi Hipponensis Præsulis loca ad marginem diligenter notantur, quibus addi debent, quæ *Opp. T. IV. p.* 388. leguntur. Tanti itaque Doctoris ductu rem ita aggressus est subtilissimi ingenii Philosophus, ut

ut nos ideas omnium rerum in DEO videre affereret. Multo verborum apparatu, nec minori ingenii vi eam opinionem expofuit et rationibus communivit in libro fæpius laudato *de la recherche de la verité l. c. ch. VI.* feqq. *p.* 340. feqq. Quæ argumenta prolixius a Malebranchio expofita rationesque copiofe allatas eleganti prorfus et accurato compendio enarrarunt COLLECTORES *Actorum Eruditorum* Lipfienfes, Viri de Republica literaria immortaliter meriti *An.* 1684. *Menfe Majo p.* 237. feqq. digni maxime, quos cum ipfo Malebranchio collatos audiamus. Supponit igitur initio duo: DEum et rerum creatarum perfectiones in fe continere, et intime unitum effe animabus noftris per fuam præfentiam, vi cujus fe habeat inftar loci fpirituum, quemadmodum fpatiis, tanquam locis, corpora continentur. His ita præmiffis, primo certum eft, faciliori ratione in DEO infinitam extenfionem omnibus fpiritibus creatis cognofcen-

dam ſiſti, quam ſi infinitus numerus idearum a DEO in inſtanti creationis illorum ſingulis tribuendus ſit. Sapientiæ autem divinæ haud congruum eſt, difficulter ac operoſe exequi, quod breviori via mediisque ſimplicioribus præſtare poterat. Secundo, ea ſententia, quæ in DEO res materiales, ſive extenſionem intelligibilem potius cognoſci aſſerit, ſpirituum creatorum dependentiam ab increato amplificat, clariusque proponit. Tertio, certum eſt, nos generalem quandam notitiam de omnibus entibus creatis poſſidere, antequam ſingulorum cognitionem acquiramus. Apparet autem, omnia entia non poſſe alio modo ita abſtracta a nobis cognoſci, quam in DEO. Quarto, impoſſibile eſt, DEO alium finem principalem ſuarum actionum propoſitum eſſe, quam ſe ipſum. Quod ſi ſpiritui cuidam creato DEus ſolem ideæ ſive objecti cognitionis immediati loco dediſſet, videretur ipſe hunc ſpiritum ejusque ideam, ſolis cauſa,

non

non sui, fecisse. Propositis his argumentis, explicat Malebranchius distincte, quo quidvis modo ab intellectu humano percipiatur. *c. VIII. p.* 350. seqq. DEum scilicet animus noster immediate, et sine imagine videt, corpora et res materiales omnes per ideas apprehendit, et quidem in DEO, se ipsum cognoscit per conscientiam sive sensum internum, quem de actionibus suis habet, alios autem spiritus et aliorum hominum animas tantum conjectura assequitur. Vix hæc in publicum exire passus erat, et librum de inquirenda veritate per partes emiserat Malebranchius, cum censores librum hic illic obelo notarent, e quibus unus *Criticam* quoque *tractatus de inquirenda veritate* scripserat, et amici quoque ejus passim clariora desiderarent, id quod etiam in præsenti materia evenit. Quæ causa fuit, ut in *illustrationibus* ad calcem libri additis doctrinæ de visione idearum in DEO cum reliquis clariorem lucem accenderet, et ad objectio-

nes passim factas responderet, præsertim id, quod dixerat, nos videre in Deo extensionem, explicaret de extensione intelligibili infinita, quam Deus, qui eam produxit, necessario debet cognoscere, id quod non potest esse, nisi in se ipso; vid. *Tom. II. p. m.* 426. seqq. *p.* 451. seqq. Fieri vero hanc extensionem intelligibilem et universalem sensibilem ac particularem, per colorem vel aliam qualitatem sensibilem, qua anima per sensuum organa afficitur. Sic ut hisce suppositis non necesse sit corpora in DEO ponere sensibilia, aut figuras in illa extensione intelligibili infinita. Decem interim excurrerant anni, quibus non solum aliquoties laudati libri iterabatur editio, sed et Vir doctissimus tractatum emiserat *de natura et gratia Roterod.* 1680. in quo peculiare gratiæ systema sibi formavit. Eum librum cum refutandum sibi sumeret Antonius Arnaldus, illam partem libri *de inquirenda veritate*, quæ de ideis, et de modo, quo ideas cernimus,

agit,

agit, prius examinandam sibi proposuit, quod haud exiguum Malebranchianæ hypotheseos fundamentum ibi latere nec ipse Malebranchius diffiteretur. Hinc Anno 1683. *Coloniæ*, ut habet titulus, emisit librum *des vrayes et des fausses idées, contre ce, qu'enseigne l'auteur de la recherche de la verité;* in quo non solum præjudicatæ opinionis Malebranchium reum agit, sed et *capite quinto* veram idearum originem supra jam expositam tradit, et res materiales in se ipsis immediate absque ideis ab intellectu humano cognosci, et ipsum actum percipiendi objectum essentialiter repræsentare statuit. Id vero maxime *capite XII.* urget, fieri non posse, ut extensio illa intelligibilis infinita, qualem Malebranchius fingat, quodcunque corpus in specie nobis intuentibus sistat, sed omnino necessarium esse, ut particulares in DEO admittantur ideæ, si quis statuat, nos in ipso res materiales cognoscere. Id quod exemplo illustrat ita comparato, ut

Malebranchii sententiam lectori deridendam propinet. Reliqua in examinandis cæteris Malebranchii opinionibus, quæ huic innituntur, occupantur. Vid. *Act. Erudit. l. c.* Non tamen tacuit, neque suæ causæ defuit Malebranchius, verum altero mox anno *Roterodami* in lucem emisit: *reponse de l'auteur de la recherche de la verité au livre de Mr. Arnaud de vrayes et de fausses idées*, in quo deploratis, quibus Arnaldum duci asserit, affectibus, ejus sententiam de modo cognoscendi examinat, et iisdem fere argumentis, quibus in libro *de inquirenda veritate* fuerat usus, ostendit, perceptiones, sensationes et modificationes animæ nostræ ab ideis rerum materialium externis longe differre. Simul etiam repetit, quæ requirantur, ut ideam videamus, scilicet et modalitatem colorum, quæ sit, ipso fatente Arnaldo, animæ affectio, et ideam puram de extensione. Hæc vero in sequentibus, profligatis Arnaldi demonstrationibus, luculentius ita

ita explicat, ut dicat, nos, licet in Deo rerum materialium naturam videamus, tamen de exiſtentia earum certos eſſe non poſſe, antequam DEus per modum revelationis naturalis (apprehenſione ſcilicet colorum juxta leges generales unionis animæ et corporis) nos doceat, eſſe ante oculos tale corpus, qualis imaginem in extenſione intelligibili invenimus. conf. *Act. Erudit. l. c. p.* 241. Nec dum perorata res viſa fuit Arnaldo, qui eodem anno *Coloniæ*, ficto loci nomine edidit: *defenſe contre la reponſe au livre de vrayes et de fauſſes idées.* Multa in ea defenſione privatam Arnaldi cum Malebranchio cauſam et perſonam tangunt, hic non memoranda. Potiora vero, quæ ad ipſam controverſiam pertinent, tum in *epiſtola ad amicum*, tum in *parte ultima* libri, in quinque partes diviſi continentur. Vbi id potiſſimum agit, ut obſcuritatis et confuſionis arguat Malebranchium, et glorietur, ſe ſole meridiano clarius (quod poſtulaverat adverſarius)

et ad oculum demonſtraſſe, perceptiones, quas anima de objectis materialibus habet, eſſentialiter eſſe illorum objectorum repræſentativas. Cæterum et hic ridiculo exemplo Malebranchio illudere pergit. Nec tamen mutus fuit Malebranchius, verum An. 1685. *Roterodami* cum erudito orbe communicavit: *trois lettres touchant la defenſe de Mr. Arnaud*, quarum ſecunda controverſiam de gratia, tertia ea, quæ hiſtoriam facti ſpectant, prima vero caput cauſæ tangit, inque eo tota eſt, ut adverſus Arnaldi accuſationem evincat, ſe extenſionem formalem in DEO nunquam poſuiſſe, adeoque eum corporeum non feciſſe. Hinc ſententiam ſuam, qua poteſt, perſpicuitate explicat, vid. *p.* 16. 18. 19. 20. et Auguſtini quoque patrocinio ſe tuetur *p.* 15. 16. id vero maxime urget, poſſe ſenſibilem idearum perceptionem errare, ſi in dijudicanda exiſtentia objectorum materialium in devia aberret, quod palmarium et invincibile contra Arnaldi perceptionem objecto-

jectorum argumentum esse putat *p.* 20. Cæterum dum ad argumenta Arnaldi respondet, id quam maxime sua interesse putat, ut moneat, se a Deo omnem localitatem removere, et ita extensionem atque materiam, quod ei adversarius imputaverat, non habuisse pro eodem, vid. *p.* 35. seqq. Vtrumque Arnaldi et Malebranchii libellum in compendio quoque enarrarunt *Acta Eruditorum* 1685. *mense Sept. p.* 414. 416. Et hæc est celebris illa, et tantis ingeniorum viribus ac animorum vehementia agitata controversia inter acutissimos nostræ ætatis Philosophos Nicolaum Malebranchium et Antonium Arnaldum. Ex quorum litibus id cuivis ad oculum patet, tam difficilem de origine idearum quæstionem esse, ut facilius sit, aliorum placita refellere, quam meliora et solidiora dare. Id quod judicio suo plane probat Cl. CLERICVS, qui de toto inter Duumviros illos Galliæ litigio *l. c.* §. 14. pronunciat: *Eos sibi invicem multum ne-*

gotii fecisse, et mutuis telis ita confossos ex eo certamine abiisse, ut, uter vicerit, haud facile constet. Certe multis victores esse, ubi oppugnant adversarium, victos, ubi se contra irruentem tueri conantur, esse visos. Neque tamen soli Arnaldo displicuit Malebranchii opinio, sed et alii Philosophi multa de ea monuerunt, id quod subtiliter quoque præstitit PETRVS POIRETVS, felicior in aliis refutandis, quam propriis inveniendis hypothesibus Philosophus *Cogitat. ration. de DEO, anima et malo l. III. c.* 10. *§.* 25. seqq. *p.* 409. seqq. ubi totus in eo est, ut Malebranchii sententiam tanquam admodum periculosam argumentis evertat, quapropter, postquam multis probavit, Deum ideas omnes suo placito creasse, nec requiri, ut omnium rerum ideas intelligibiles in se habeat, *paragrapho* 45. seqq. *p.* 414. seqq. ad potiora argumenta Malebranchii respondet. In eadem quoque arena desudarunt IO. LOCKIVS in *opusc. posthum.* vid. CLERIC. *Biblioth.*

bliotb. sel. T. XII. p. 156. et ipse CLERICVS *Pneumatol. l.c. §.* 12. 13. Vener. IO. GEORG. PRITIVS diss. *de Enthusiasmo Malebranchii*, HERMANN. AB ELSWICH *de controversiis recentioribus circa doctrinam de anima §.* 22. *p.* 32. seqq. aliique. Non tamen displicuit in totum Malebranchii opinio magno Philosopho G. G. LEIBNIZIO, qui in *meditationibus de veris et falsis ideis, Actis Eruditor.* 1684. *mense Nov. p.* 541. insertis, eam, ait, *si sano sensu intelligatur, non omnino spernendam esse, ita tamen, ut præter illud, quod in DEO videmus, necesse sit, nos quoque habere ideas proprias, id est, non quasi icunculas quasdam, sed affectiones sive modificationes mentis nostræ respondentes ad id ipsum, quod in DEO perciperemus.* Denique, antequam a sententiæ hujus de idearum origine historia recedimus, id quoque addimus, Malebranchii opinionem inter veteres Philosophos deprehendisse exactissimum Criticum PETRVM BAYLE *Dict. Histor. Crit. T. I.*

voce

voce Amelius p. 177. *not. d.* Obſervat enim, Porphyrium contra Plotinum demonſtrare fuiſſe conatum, quod ideæ noſtræ ſint extra noſtrum intellectum. Verba Porphyrii in *vita Plotini* hæc ſunt: Διὸ καὶ ἀντιγράψας προσήγαγον δεικνύναι πειρόμενος, ὅτι ἔξω τοῦ νοῦ ὑφέστηκε τὸ νόημα. *Quapropter eum contra ſcribendo provocare tentavi, conatus oſtendere, ea, quæ intelliguntur, extra intellectum eſſe.* Alio vero loco cum Democriti ſententia ſatis impia Malebranchii opinionem comparat. *T. II. art. Democrite p.* 984. *not. P.* Ita enim de Democrito CICERO *de natura Deorum l. I. Democritus tum cenſet imagines divinitate præditas ineſſe univerſitati rerum; tum principia mentesque, quæ ſunt in eodem univerſo, Deos eſſe dicit; tum animantes imagines, quæ vel prodeſſe ſolent vel nocere; tum ingentes quasdam imagines tantasque, ut univerſum mundum complectantur, extrinſecus.* Hanc ſententiam, qua Democritus ideas noſtras emanationes DEI et ipſum DEum eſſe ſtatuit, non longe

longe remotam esse arbitratur a visione omnium idearum in DEO a Malebranchio defensa, unde facile idem Democriti error sequatur, nostras ideas esse ipsum DEum, quod tamen est longe absurdissimum. Conf. *T. I. art. Averroës p.* 384. *not. E.* ubi cum Platone eam comparat. Essent tamen et hic aliqua monenda, si id jam ageremus, caute enim in ejusmodi comparatione incedendum est, ne sententias auctorum confundamus.

(*b*) Vid. CLERIC. *l. c.* §. 15. S. R. D. BVDDEVS. *Elem. philos. instrum. P. II. c.* 1. §. 9.

§. III.

Non minori dissidio de ideis innatis disputarunt Philosophi. Fuerunt enim, qui certas quasdam ideas ita menti nostræ innatas esse assererent, ut sine objectis externis ac sine deductione consectariorum menti obversentur. (*i*) Alii vero in

in longe diverſiſſimam conceſſerunt ſententiam, nullas ejusmodi ideas menti ineſſe, cunctaque apprehenſione idearum de objectis externis per ſenſus excitatarum, et attentione mentis ad ſenſationes ſuas oriri contendentes. (*k*) Quare veteri ſimilitudine uſi, animam noſtram cum tabula nuda comparaverunt. Litem quoque in ſuas ſcholas pertraxerunt Theologi, quando de innata homini et inſcripta menti DEI notitia ſermonem inſtituerunt, (*l*) ex quibus media via incedunt, qui (*m*) ideas actu quidem innatas eſſe negant, eas tamen per potentiam propinquam ideis quibusdam evidentiſſimis earumque relationi cum propenſione aſſentiendi definiunt.

(*i*) Qualis ſit opinio, quæ ideas nobis actu innatas eſſe dicit, ex iis, quæ paragrapho præcedente dicta ſunt, facile hauriri poteſt. In ea vero ſenten-

tia

tia fuere Cartesiani haud pauci, vid. ipse CARTESIVS *Medit. III. p.* 17. et AVCTOR *artis cogit. P. I. c.* 1. *p.* 11. 12. præcipue vero Theologi Batavi de hac quæstione inter se sunt digladiati. Sed ista quidem ad nos non pertinent, Theologis relinquenda. Solidiora vero ex Cartesianis attulisse sibi visus est IO. BAPT. DV HAMEL *de mente hum. l. II. c.* 3. et 5. qui putat, esse certas rationes æternas, vel ideas, ex quibus lux omnis in mentes nostras illabatur, et ubi genuina sedeat veritas. Hanc vero formam incommunicabilem non conspici in se ipsa, sed in verbo vel imagine a rebus externis desumta, quam menti imprimat, et ita interne de veritate plenissime doceat. Multis tamen et hanc sententiam premi difficultatibus, reliquis, quæ supra memoratæ sunt, non minoribus ostendit Cel. SYRBIVS *Instit. Phil. ration. ecl. P. I. c.* 2. *§.* 7. *p.* 16. seqq. De Leibnizii circa hanc rem mente supra jam egimus, quibus addenda sunt, quæ hunc

hunc in modum l. c. ſtatuit : *Pulcherrima multa ſunt Platonis dogmata, -- eſſe in divina mente mundum intelligibilem, quem ego quoque vocare ſoleo regionem idearum; objectum ſapientiæ eſſe τὰ ὄντως ὄντα, ſubſtantias nempe ſimplices, quæ a me monades appellantur, et ſemel exiſtentes ſemper perſtant, πρῶτα δεκτικὰ τῆς ζωῆς, id eſt, Deum et animas, et harum potiſſimas mentes producta a DEO ſimulacra divinitatis. Mathematicæ autem ſcientiæ præparant nos ad ſubſtantiarum cognitionem* etc. *Porro quævis mens, ut recte Plotinus, quendam in ſe mundum intelligibilem continet, imo mea ſententia et hunc ipſum ſenſibilem ſibi repræſentat* etc. quæ verba ſupra jam adducta ſunt, tandemque ita finit: *Longe ergo præferendæ ſunt notitiæ innatæ, quas reminiſcentiæ nomine velavit, tabulæ raſæ Ariſtotelis et Lockii, aliorumque recentiorum, qui ἐξωτερικῶς philoſophantur...* Quia vero innatas has ideas Philoſophus ingenioſiſſimus ad monadas ſuas ſeu ſubſtantias ſimplices reſtringit, ea exclu-

denda

denda non sunt, quæ de vi mentis, ideas juxta harmoniam præstabilitam producendi eodem loco dixerat. In *Actis Erudit.* 1684. *mense Novembri p.* 541. vero Vir illustris post consideratam Malebranchii controversiam subdit: *Rerum actu a nobis non cogitatarum ideas esse in mente nostra, ut figura Herculis in rudi marmore.*

(*k*) Inter hos antesignanus est præstantissimus Angliæ Philosophus IO. LOCKIVS. Illi enim hoc primum ac maxime necessarium visum fuit, toto libro primo tentaminis de intellectu humano demonstrare, non dari ideas innatas. Hinc mox Cap. I. principia speculativa, quæ innata esse dicuntur, explodit, eaque non tantum ex modo, quo ideæ acquiruntur, refutat, sed et prolixius ostendit, ea principia speculativa v. g. Quicquid est, est; impossibile est, idem simul esse et non esse etc. neque universaliter approbari, neque a ratione detegi, neque ita

cognoſci, ut prima ſint in inquirenda veritate. Cap. II. eadem methodo principia practica innata negat, et argumentum præcipuum, quod a conſcientiæ dictamine et morſibus deſumi ſolet, refellit, ad totas quoque nationes provocat, qui plurima ejus generis principia rejiciunt. Capite vero tertio magis ſpeciali tractatione id agit, ut demonſtret, nec ideas, ex quibus ejusmodi principia conſtant, nobis eſſe innatas, nec id dici poſſe de idea identitatis, totius et partium, adorationis DEI, ſubſtantiæ, etc. ad varias quoque, quæ moveri ſolent, objectiones reſpondet, et §. 24. *p.* 90. ſeqq. cauſas quoque explicat, cur ideæ innatæ eſſe dicantur; nempe tum, quod breviſſima hæc via ſit, circa illa principia intellectum liberandi ab inquirendi et examinandi labore, tum quod vetuſtiſſimum præjudicii auctoritatis aſylum inde ortum ſit, formata regula: De principiis non eſt diſputandum. Quæ omnia argumentis poſtea firmat, et ab

ab objectionibus liberat. Secuti sunt Lockium et alii celeberrimi Philosophi, ex quibus videndi IO. CLERICVS *Pneumatol. Sect. I. c. 5. §. 16.* CHRISTIAN. THOMASIVS in *Proëm. ad Institut. Iurisprud. div.* et *Introduct. ad Philos. aul. c. V. §. 35.* NIC. HIERON. GVNDLING. in *via ad Verit. rational. c. I. §. 15. p. 6.* EPHRAIM GERHARD. *delin. Philos. ration. l. I. c. V. p. 46.* qui tamen ideam contradictionis innatam putat, aliique.

(*m*) Est hæc sententia Virorum multa eruditionis et accuratissimi judicii laude florentissimorum IO. MVSAEI et IO. FRANC. BVDDEI Theologorum Ienensium, quam ille in Introduct. in *Theologiam c. II. §. 19. p. 53.* seqq. hic in *Institut. Theolog. moral. P. II. c. 2. §. 5. p. m. 398.* seqq. exposuit. Vterque observat, ideas illas, sive, quæ ex ideis claris constant, principia, innata dici vel de actu secundo, vel de actu

primo, vel de potentia propinqua, non tamen de prioribus, ſed de ultimo modo illam eſſe intelligendam notitiam. Si quis enim ſerio conſideret, quæ in mente ſua contingunt, deprehenſurum, ſtatim ac ejusmodi principia obverſantur, ut ea quoque intelligat, non poſſe non ſe illis aſſenſum præbere. Et niſi hoc admittatur, rationem quoque dari non poſſe, cur tot gentes per orbem diſperſæ, linguis ceteroquin, moribus, inſtitutis admodum inter ſe diſſentientes in hiſce tamen principiis maximam partem inter ſe conſentiant. Cæterum l. c. et contra argumenta Lockii diſputatur, et quousque principia practica innata dici poſſint, uberius exponitur. Et hæc quidem generatim de ideis innatis. Majori multo contentione diſputatum eſt, cum de idea DEI innata ſpeciatim quæreretur. Occaſionem controverſiæ ſubminiſtravit CARTESIVS *Medit. Metaph. III.* et *V. p.* 17. ſeqq. et *Princip. Philoſoph. P. I. art.* 13. *p.* 3. ſeqq. aſſerens, ideam DEI ſive infiniti

finiti entis in noſtris mentibus exiſtentem et ab alio quam ab ejusmodi ente ortum ducere non poſſe, et clare atque evidenter in ſe continere ideam exiſtentiæ, ſine qua idea infiniti entis ne cogitari quidem poſſit. Dici vix poteſt, quam ſibi nova hac exiſtentiæ DEI demonſtratione placuerit Carteſius, quantoque conatu contra dubia a GASSENDO in *dubit. et inſtant. adv. Carteſii Metaphyſ. dub.* 7. mota, et contra ea, quæ alii quoque monuerunt, placuerit; vid. *Reſp. ad Object. ſecund.* Illud tamen non novum, ſed ab Aquinate jam rejectum eſſe obſervat ὁ πάνυ LEIBNIZIVS *Act. Erudit.* 1684. *menſe Nov. p.* 539. in *Epiſtola* vero *ad Gerh. Mejerum, Theologum Bremenſem*, data, quam *Miſcellaneis Leibnizianis* inſeruit IOACH. FRID. FELLERVS *p.* 63. notat, Anſelmum Cantuarienſem Archi-Epiſcopum in libro *contra inſipientem*, ſeu contra Atheum, hoc argumentum protuliſſe, a priori ſive idea et definitione ſumtum, quod renova-

vit Cartesius. Nec defuerunt inter Cartesii asseclas, qui argumentum hoc pro existentia DEI ab idea innata desumtum magni facerent, magistrique sententiam contra dissentientes defenderent, quemadmodum et multi inventi sunt, qui illud examinarent, et sophismatis accusarent. vid. PETR. DANIEL HVETIVS *Censur. Philosoph. Cartes.* c. IV. p. 58. seqq. G. GVIL. LEIBNIZ. *Act. Erudit.* l. c. p. 593. IO. MVSAEVS *Introduct. in Theolog.* c. II. §. 23. p. 61. seqq. PETR. CHAVVIN *de relig. nat.* c. II. p. 35. IO. FR. BVDDEVS *thes. de atheismo et superstit.* c. V. §. I. qui omnes accurate observant, supponi existentiam DEI in illo Cartesii ratiocinio vel possibilem, vel actualem, adeoque probari quæstionem per id, quod est in quæstione, committique circulum. Maxime vero recentissima ætate, præsentisque seculi initio lis de hac re agitata est. Exposuerat enim Celeb. SAM. WERENFELSIVS Professor Basileensis *judicium*

 suum

ſuum *de argumento Carteſii pro exiſtentia DEI* petitum ab ejus idea, peculiari diſſertatione; cujus occaſionem, qua ad editionem contra voluntatem compellebatur, ipſe refert *Opp. p.* 664. quæ etiam ejus *opuſculis Theologico-Philologico-Philoſophicis junctim editis p.* 645. ſeqq. inſerta eſt, ibique oſtenderat ſumma animi modeſtia, judiciique, quo pollet, acumine, latere in eo paralogiſmum. Contra hoc judicium edidit *epiſtolam apologeticam pro argumento Carteſii* I. H. SVICERVS Profeſſor Tigurinus, non tamen pari, qua uſus fuerat Cl. Werenfelſius, animi moderatione, quippe qui Virum optimum una cum ſchola Baſileenſi indigne habuit. Qua ex cauſa *vindicias* ei expoſuit, et ad illatas quidem injurias paucis in *præfatione*, et, ut Theologum decet, ſine bile, ad ejus argumenta vero latius reſpondit. Vid. *l. c. p.* 660. ſeqq. Eodem fere tempore Werenfelſio reſponſionem oppoſuit ISAAC. IAQVELOT. eamque

Ephimeridibus eruditorum, *Histoire des Ouvrages des Savans* 1700. *mense Majo p.* 199. seqq. inseri curavit. Ast vix viderat et examinaverat eam BRILLONIVS, Sorbonicus apud Parisienses Doctor, cum novam probationem Diario Gallico: *Iournal des Savans An.* 1701. *P. II.* insereret, Cartesium pro demonstratione sophisma lectoribus vendidisse. Ad eam tamen aliqua reposuit ex Benedictinorum Monachorum sodalitio FRANC. LAMI in *Diario Trevoltino (memoires de Trevoux) Ian. et Fev.* 1701. *p.* 104. Nec sui immemor fuit IAQVELOTVS, sua enim defendit in Ephimeridibus laudatis *Hist. des Ouvr. des Savans M. Mai* 1701. *p.* 226. Aliorum de hoc Cartesii argumento cogitata tacemus, videndus vero BAYL. *Dict. Hist. Crit. T. IV. art. Zabarella not. G. p.* 2901. qui pluribus de eo agit. Longe aliter dicti in nota praecedente Theologi, qui concesserunt libenter, ejusmodi ideam de DEO, actu nobis praesentem, non dari;

dari; id tamen contenderunt, esse in nobis naturalem omnibusque hominibus communem propensionem, habitus connati titulo a quibusdam ἀκύρως insignitam, qua adigatur intellectus ad consensum propositionis: DEus est. vid. BVDDEVS. *l. c. c. V. §.* 1. *p.* 326. seqq. Quæ sententia eo minus rejicienda multis videtur, quod præter lucem intellectus, ad quam, quicquid de ideis innatis dici potest, referendum est, in voluntate quoque intimum et constans atque naturale desiderium fruendi infinito atque perfectissimo fine, fine bono inveniatur, quod intellectum ad ejusmodi boni agnitionem suis motibus conformem determinat; conf. FENELON *de l'existence de Dieu Sect.* 4. *p.* 159. seqq. IAC. ABBADIE *de veritate relig. christianæ. P.* 1. *c.* 11. *§.* 14. SAM. WERENFELS. *Opp. p.* 786. IO. IAC. SYRBIVS *Instit. Philos. rat. P. I. c.* 13. *§.* 25. *p.* 231. seqq. et in *præfat. ad Philos. primam.* Adde, si placet, *Meditationes* nostras *philosophi-*

cas de falsa virtute c. I. §. 2. p. 9. seqq. In eandem ferme sententiam discessit PETR. POIRET. *Cogit. ration. l. I. c. 3. §. 3. p. 110. not. 1.* ubi ita mentem explicat: *Dicitur solum, dari in homine, prout jam est, vim, capacitatem, principia cogitandi de DEO, sive DEI ideam eousque actu possideri, ut scire et nosse possimus, dari Ens perfectissimum, potentissimum, bonum, omnium auctorem, et ejusmodi alia, quae vel palpando inveniri possunt.* Conferri tamen debent, quae *Oeconom. div. l. I. c. 21.* et in tr. *de eruditione* passim hac de re attulit, ex propriis Poireti principiis explicanda.

§. IV.

Reliqua, quae de ideis in Philosophorum recentiorum scriptis traduntur, multa quidem sunt et copiosa, magis tamen plana magisque expedita, nec tanto dissensu agitata, et hinc paucis tantum indi-

indicanda. Divisis nempe intellectus nostri immediatis objectis in ideas simplices et compositas, ad illas sensationes referuntur, non in objectis externis, sed in animæ nostræ modificatione quærendæ, et propter simplicitatem suam definitioni suo modo non subjectæ: (*n*) his vero substantiarum, modorum et relationum ideæ potiorem partem comprehenduntur. De quibus multa subtiliter et exquisite tradidit Lockius, suo tamen loco (*o*) quærenda; sunt enim prolixiora, quam ut in hoc compendio enarrari possint. De idea tamen substantiæ notandum est, cum Aristoteles cum tota discipulorum cohorte sibi hactenus persuasisset, se substantiam clare perspicueque definivisse per ens per se subsistens, purioris Philosophiæ restauratores observasse, abstracte quidem aliquam dari substantiæ notitiam, quid vero substantia sit in concreto,

to, id nos ignorare cum ignarissimis. (*p*)

(*n*) De sensationibus (quam materiam ignorat vulgus Logicorum) multa egregia tradiderunt Philosophi nostrorum temporum; præcipue cum eas non in Logica tantum considerárent, verum etiam Physices incrementum majorem ad eas cognoscendas lucem accenderet. Demonstraverunt enim luce meridiana clarius, contra commune præjudicium, nihil esse in objectis sensationibus nostris simile, coloremque non in panno, nec odorem in flore, vel dulcedinem in saccharo, sed in ipsa nostra anima, mediantibus organis sensoriis, esse: ubi tamen causa, subjectum objectumque ab ipsa sensatione omnino distinguenda sint, nec invicem confundenda, quæ quidem in perceptione animæ conjunguntur, sua tamen natura sunt longe diversissima. Videantur, qui toti in eo explicando fuerunt NIC. MALE-

MALEBRANCHE *de la recherche de la verité P. I. l. I. c.* 10. *p.* 76. seqq. IO. LOCK. *de intell. hum. l. II. c.* 7. *p.* 126. seqq. *c. VIII. §.* 15. *p.* 135. seq. IO. CLERICVS *Log. P. I. c.* 2. *§.* 9. *Physic. l* 5. *c.* 7. seqq. pluresque alii. Has porro, ut et omnes reliquas ideas simplices, quas prolixe explicat LOCKIVS *l. c. c.* 2. seqq. *p.* 114. seqq. definiri posse negant, cum definitio sit idearum sive partium evolutio. vid. CLERIC. *l. c. §.* 11. GVNDLING. *Via ad Verit. rat. c. II. §.* 9. *p.* 12. GERHARD. *Del. Phil. ration. l. I. c.* 5. *§.* 15. *p.* 48. Vbi tamen aliquantisper dissentiunt Illustris LEIBNIZIVS *Act. Erudit.* 1684. *mense Nov. p.* 537. et Cl. IO. IAC. SYRBIVS *Instit. Philos. ration. P. I. c.* 10. *§.* 9. *p.* 115. Ille enim concedit quidem, in ideis illis notas ad rem ab aliis discernendam sufficientes enumerari non posse, certum tamen esse asserit, notiones harum qualitatum (dixerat de odoribus et saporibus, quos satis quidem clare agnoscimus, et a

se

ſe invicem diſcernimus, non tamen notis enuntiabilibus, ſed ſimplici ſenſuum teſtimonio) compoſitas eſſe, et reſolvi poſſe, cum cauſas ſuas habeant. Hic vero contendit, ideam ſimplicem per alias, præſertim cauſarum, effectuum, cognatorum illuſtrari, et ut Scholaſtici loquuntur, ſpecificari poſſe.

(*o*) *l. II. ch.* 22. ſeqq. *p.* 340. ſeqq.

(*p*) Videndus idem LOCKIVS *l. c. c.* 23. *§.* 4. ſeqq. *p.* 352. ſeqq. ubi, poſtquam de ſubſtantia in abſtracto, ſive ſubſtrato illo, cui ineſſe concipimus qualitates, quodque illo nomine inſignimus, dixerat, de ſubſtantia in concreto addit *§.* 6. *p.* 354. *Ainſi, quelque ſoit la nature abſtraite de la ſubſtance en general, toutes les idées, que nous avons des eſpeces particulieres et diſtinctes des ſubſtances ne ſont autre choſe, que differentes combinaiſons d'idées ſimples, qui coëxiſtent par une union à nous in-*

inconnuës, qui en fait un tout existant par lui même. C'est par de telles combinaisons d'idées simples, et non par autre chose, que nous représentons à nous-mêmes des espéces particulieres de substances. conf. Illustr. CHR. THOMAS. *pecul. program. Institut. Iurispr. div. p.* 638. seqq. *annexo.* Cæterum etiam potentias activas et capacitates passivas idearum simplicium in ista collectione idearum, sive idea substantiæ composita connotari, eodem loco *§. 7. p.* 355. observatur. Plura vero quam potentias activas ad ideam substantiæ requirit LEIBNIZIVS in *meditat. de emendat. Philos. prima, et de notione substantiæ, act. erudit.* 1694. *mense Mart. p.* 111. nam præter existentiam a se ipso desiderat potissimum ad substantiam vim activam, quam mediam constituit inter potentiam activam sive facultatem, quæ aliena excitatione opus habet, ut in actum transferatur, et ipsam actionem, et quæ actum quendam, sive ἐντελέχειαν continet, nec auxiliis

liis indiget, ſed per ſe in operationem fertur, modo impedimenta removeantur. Hinc et peculiarem ſcientiam, quam Dynamicen vocat, conſtituit, ejusque principia expoſuit *Act. Erudit.* 1695. *p.* 145. ſeqq.

§. V.

De idearum veritate et falſitate in diverſa quoque abierunt Philoſophiæ rationalis magiſtri. Quidam enim veritatem et falſitatem de ideis in ſimplici apprehenſione prædicari non poſſe, et ad figmenta cuncta renovanda eſſe contendunt. (*q*) Alii vero omnem ideam ab archetypo objectoque reali aberrantem falſam vocant. (*r*) Quemadmodum etiam nuper inter magni nominis Theologos controverſia exorta eſt, num ea, quorum vel nullam, vel obſcuram ideam habemus, credi ſive affirmari et pro veris haberi poſſint. Id quod de myſteriis

ſteriis quidem fidei in Theologia explicandis diſputatum fuit, quatenus tamen ſolutionis fundamentum ex natura idearum deſumendum eſt, etiam hoc loco commemorari debet. (*s*)

(*q*) Videndus eſt præ reliquis LOCKIVS *l. c. l. II. c.* 32. *p.* 471. ſeqq. qui obſervat, quoties ideæ veræ vel falſæ vocentur, toties ſubeſſe tacitam propoſitionem, quæ ſit fundamentum hujus denominationis: adeoque nullam ideam in ſe ſine relatione ad mentis judicium ita proprie vocari poſſe. Semper enim in mente noſtra ſupponi ideam, quacum alia comparetur; ut ejus veritas vel falſitas cognoſcatur. Illam ideam, per modum abſtractionis formatam memoriæque traditam conſervari tanquam ideam eſſentialem, rei qualitatem exponentem, eamque inſtar normæ eſſe, ſecundum quam veritas ideæ dijudicetur. Conf. SYRB. *Inſtit. Phil. rat. P. I. c.* 1. *§.* 3. ſeq. *p.* 3. ſeq.

 (*r*) Vid.

(*r*) Vid. CHR. THOMASIVS *Introd. in Philos. aulic. c. V. §. 9.* IO. FR. BVDDEVS *Elem. Phil. instr. P. II. c. 2. §. 7.* GOTTL. GERH. TITIVS *art. cog. c. V. §. 22. p. 89.* aliique. Nituntur vero definitione veritatis, quod sit convenientia idearum cum re concepta: cum dissentientes eam definire soleant per convenientiam idearum inter se. Cæterum qui litem de voce esse dixerit, non multum a veritate aberrare videtur, saltem eo inclinat SAM. WERENFELS. *Opp. p. 782.* hac thesi: *Quanquam verum sit illud Aristotelis:* Ὅτι τῶν κατὰ μηδεμίαν συμπλοκὴν λεγομένων ὐδὲν ὔτε ἀληθὲς ὄυτε ψευδές ἐςι, *nihil tamen obstat, quin in simplici apprehensione falsitatem esse dicamus.*

(*s*) Agitata est hæc controversia inter Viros celeberrimos IO. ALPHONS. TVRRETINVM Professorem Genevensem, et CHR. MATTHAEVM PFAF-

PFAFFIVM Profesforem, et jam Cancellarium Tubingensem. Ille enim asseruerat in *Cogitationibus de controversiis, sensu communi*, etc. *thesi XXXI.* ea credi non posse, quorum ideas non habemus, his verbis: *Falluntur, qui se credunt ejusmodi ἀσύστατα credere*, (de præsentia reali gloriosi corporis I.C. in S. cœna sermo fuerat) *jungunt voces, non ideas; atque credere proprie loquendo non est voces, sed ideas jungere.* Ad ea quædam reposuit Pfaffius in *dissertatione de consecratione veterum Eucharistica §. XVII. Syntagm. Theol. p.* 511. seq. postea inserta. Multa scilicet natura nobis nota esse, quæ vera esse sciamus, et combinare tamen non possimus, ita ut ἀσύστατα nobis esse videantur. Et in rebus natura notis jungendas sæpius voces esse, ubi ideæ jungi non possint, et vel nullæ plane, vel imperfectæ saltem dentur. Ideas jungere et credere non esse unum idemque, ideas enim nos quoque jungere, cum fingimus, etc. Hæc cum legisset Turretinus, et

in illa opinione esset, id sibi ipsi oneris imposuisse Pfaffium, ut ἀσυςάτων, sive contradictoriorum defensionem aggrederetur, edidit *solutionem quaestionis: utrum asystata seu contradictoria proprie loquendo credi possint?* quae primo quidem in cathedra Theologica Genevae defensa, postea vero inserta est *Dissertationibus miscellaneis* Illustr. GVNDLINGII, *Gundlingianorum* nomine notis *P. XIV. m. II. p.* 346. seqq. Ibi praemissa prius explicatione, quid sint contradictoria, quidque credere, non sensu populari et improprio, sed philosophico, id praecipue evincere satagit, ut rem credamus, vel potius, propositioni assentiamur, necesse esse, ut ideas rerum habeamus, non quidem perfectas, claras, distinctas, adaequatas, aliquas tamen, quaeque se invicem non evertant. Magnum discrimen esse inter duarum rerum connexionem clare non percipere, et clare videre, quod duae res neutiquam connecti possint, sed se mutuo evertant.

Quae

Quæ postea ad argumenta Pfaffii applicat, et ostendere contendit, illa contradictoriorum partibus non favere, sententiamque suam non recte esse intellectam. Non vero silendum sibi esse judicavit Pfaffius, sed ne absurdæ thesis assertio, contradictoria simul esse vera, ipsi imputaretur, quod tantum non fecerat CLERICVS *Biblioth. ancienne et moderne T. VI. P. II. art. 6.* edidit *dissertationem apologeticam de contradictoriis, num proprie loquendo credi possint*, in qua mentem suam accurate exponit, seque non de contradictoriis, sed de incomprehensibilibus sermonem fecisse serio monet: quo supposito, rationes ab ipso allatæ nondum a Turretino labefactatæ sint, sed firmo stent talo. Cuncta vero eo tendunt, ut demonstret, ad credendum non semper requiri ideas essentiæ, vel cognitionem naturæ rei, sive claram sive obscuram; sed credere nos interdum debere ea, quorum ideam existentiæ tantum habemus, sive quæ esse aliquid in con-

creto novimus, licet essentiam rei prorsus ignoremus: unde et distinctionem inter ideam existentiæ et essentiæ, quæ certe totam rem conficit, admodum commendat. vid. *l. c. §. 6.* *Primit. Tubingens. P. II. p.* 148. seqq. Et hisce limitibus Viri moderationis laude insignes controversiam hanc terminarunt: quædam vero etiam reposuit DAN. MAICHELIVS in *examine dissertationis a Io. Fr. Turretino contra C. M. Pfaffium scriptæ*, quæ magis speciali ratione controversiæ primum statum tangunt, huc non pertinentia. conf. *Relat. innoc.* 1716. *p.* 1051. *Nova liter. Lips.* 1718. *p.* 136. Cæterum nos ideas de mysteriis habere nullas asseruit quoque MALEBRANCHIVS *de la recherche de la verité. l. I. c.* 2. *p.* 22. quia DEVS nobis manifestet tantum ideas in ordine naturæ, mysteria vero pertineant ad ordinem gratiæ; conferenda tamen sunt, quæ in *illustrationibus T. II. p.* 340. monet, ubi ea ad ideas claras restringit, quæ dixerat. Egregie vero

totius

totius controversiæ nodum solvit Vir summus G. G. LEIBNIZIVS *de la conformité de la foi avec la raison §. 56. præmiss. essais de Theodicée, p. m.* 43. cujus verba legisse neminem pœnitebit. Ita vero inter alia Philosophus accuratissimus: *Il en est de mêmes des autres mysteres, où les esprits moderés trouveront toujours une explication suffisante pour croire, et jamais autant, qu'il en faut comprendre. Il nous suffit un certain ce que c'est* (τί ἐστι) *mais le comment* (πῶς) *nous passe, et ne nous est point necessaire. Nous n'avons pas besoins non plus (comme j'ai deja remarqué) de prouver les mysteres a priori, ou d'en rendre raison; il nous suffit que la chose est ainsi,* (τὸ ὅτι) *sans savoir le pourquoi* (τὸ διότι) *que Dieu s'est reservé.*

§. VI.

Celebris tandem quæstio quoque est, an dentur ideæ puræ, et, qui circa eas versatur, intellectus

purus. Alii enim non tantum ideas puras omni corporeo symbolo carentes, et sine ulla imagine corporea intellectui obversantes admittunt, sed et eas longe clariores, veritatique inveniendæ aptiores esse judicant: (*t*) a quibus in quibusdam abeunt, qui ideas puras quidem admittunt, veruntamen non tam claras esse, quam ideas impuras imaginationis operâ productas statuunt. (*u*) Alii vero omnes ideas puras prorsus negant, nihil concipi posse contendentes, quod non imagine symbolove corporeo intellectui obversetur, et a spiritibus animalibus in cerebro repræsentetur; (*x*) qua ratione imaginationi omnia adscribunt. In qua miram quoque idearum associationem, multorum effectuum haud contemnendam caussam primus accurate observavit Lockius. (*y*)

(*t*) Fa-

(*t*) Faciunt hoc Carteſiani, interque eos NIC. MALEBRANCHE *de la recherche de la verité T. I. l. III. p.* 290. ſeqq. AVCTOR *artis cogit. P. I. c.* 1. *p.* 4. et PETR. POIRETVS *Cogit. ration. de DEO, anima et malo l. I. c.* 1. *p.* 97. ſeqq. qui multis ea adſtruit, et diſſentientium varia argumenta et hypotheſes refutat. Opponit enim ſe illis, qui vel nullam plane rerum ſpiritualium cognitionem admittunt, vel qui meris verbis, vel qui ſenſibilibus externis, vel qui imaginatione entium notitiam acquiri volunt, quæ tamen diſſentientium claſſes facile poſſunt contrahi. Ex iis, qui eclecticam magis philoſophandi viam ingreſſi ſunt, ab his partibus ſtant SAM. WERENFELS, in *Dialogo de finibus mundi Opp. p.* 687. et G. G. TITIVS *art. cogit. c. II.* §. 9. *p.* 20. ſeq. Et hi quidem provocant ad eſſentias et univerſalia, ad numeros eorumque proportiones, ad minima, ad rationes morales, relationes idearum, abſtractiones, privationes, aliaque, quæ

imaginari minime possumus, concipere tamen valemus. Quando vero objicitur, nominis saltem tum ideam corpoream obversari intellectui, inter signum et rem signatam distinguentes, clare discrimen inter utrumque intellectu percipi asserunt.

(*u*) Hanc sententiam amplexus est S. R. D. BVDDEVS *Elem. Philos. instrum. P. II. c. I.* §. 46. nempe præter res corporeas, imagine aut externo symbolo vestitas, alias quoque iis nudatas nos percipere quandoque, sed obscure admodum atque tenuiter. Provocat autem ad experientiam, et ea, quæ quilibet homo in se deprehendit. conf. *Ej. Theol. Moral. P. I. c. I. sect.* 5. §. 5. *p.* 167. seqq.

(*x*) Primas hic tenet partes THOMAS HOBBESIVS, recte tamen intelligendus. Is in *Leviathane c.* 1. 2. seqq. *p.* 3. seqq. statuit, omnem substantiam esse corpus, notitiam discursivam fieri per

per nominum combinationes, nomina autem esse signa cogitationum, cogitationes omnes esse vel sensiones, vel imaginationem, per seriem imaginationum nasci successionem unius cogitationis ad aliam, et quæ sunt reliqua, quæ magnam ei invidiam conflarunt. Inter atheismi enim fautores hac de causa relatus est, id quod multo conatu et verborum eloquentia egit SAM. PARCKERVS in *disp. de DEO et providentia divina*, *Disp. I. sect.* 27. seq. *p.* 87. seqq. quem secuti sunt alii; vid. BVDDEVS *thes. de Atheismo et superstit. c. I. §.* 27. conf. POIRET. *cogit. ration. l. II. c. II. p.* 101. seqq. Suscepit tamen Hobbesii defensionem Cel. GVNDLINGIVS in *diss. misc.* sive *Gundlingianis P. XIV. m. I. p.* 304. seqq. qui, cum cuncta a definitione corporis dependeant, eum præcipue monet longe aliam, quam quæ recepta est vulgo, intellexisse et dedisse corporis notionem, eam scilicet, quæ notat ens realiter in se ipso existens, quod phan-

taſtico

taſtico opponatur : vid. *Append. ad Leviath. c. I. p.* 344. ubi dictum in modum corpus definit. Neque tamen hoc negari poteſt, eum, dum a recepta corporis definitione recedit, innumeris ſe implicaſſe obſcuritatis difficultatibus, et ita mentem expreſſiſſe, ut videatur aſſerere, quod nihil realiter exiſtat, niſi quod habeat magnitudinem adeoque dimenſiones. conf. *Leviathan c. XXXIV. p.* 183. 188. Alia ratione Illuſtr. THOMASIVS omnes ideas puras, omnemque perceptionem ſine ſymbolo corporeo negat *Introd. in Phil. aulic. c. III. §.* 34. *c. V. §.* 34. *Inſtit. Iurisprud. div. l. I. c.* 1. *§.* 34. *Introd. in Philoſ. ration. c. III. §.* 24. *p.* 25. 26. is enim ad ipſam experientiam provocat, qua convincamur, ſemper ope ſpirituum animalium ideas menti repræſentari, unde non poſſint eſſe mere intellectuales et puræ.

(*y*) Vid. *de intell. hum. l. II. c.* 33. *p.* 485. ſeqq. ubi multa egregia hac de

re

re obſervantur. Intelligitur vero per aſſociationem idearum non quævis naturalis et neceſſaria earundem conjunctio, ſed quæ fortuita eſt, aut per conſuetudinem vel affectum producitur; qua ideæ, quæ nullum naturalem inter ſe habent nexum, ita copulantur, ut recurrente una, tota earum caterva ſe conſpiciendam intellectui præbeat. Quantum vero non in inquirenda ſolum veritate, ſed in omni quoque vita civili et in rebus maximi momenti uſum habeat, plerique, qui poſt Lockium hac de re aliquid tradiderunt, commemoravere. vid. BVDDEVS *Theol. mor. P. I. c.* 1. *ſect.* 5. *§.* 9. *p.* 170. ſeq. IO. FR. WVCHERER *de aſſociat. idearum*, et Logicorum recentiorum plerique.

§. VII.

In hac arena maxima recentiorum Philoſophorum ingenia circa doctrinam de ideis ſe exercuerunt,

runt, et in partes haud raro abierunt, potioraque hæc quoque ſunt, quæ enarranda fuerant. Quibus tamen addere plura potuiſſemus, niſi modus tandem ſervandus, idque ſuo loco relinquendum fuiſſet, quod et facile ubique inveniri poteſt, et ad aliam potius rationalis Philoſophiæ partem, quæ de natura intellectus agit, pertinet. Hinc vela tandem, poſtquam latiſſimum veteris et recentioris Philoſophiæ æquor emenſi ſumus, contrahimus, et tractationis hujus portum aſſecuti, curſum finimus.

INDEX.

A.

V ejus

Anti-

C. *Car-*

C.

Crater

Empe-

quo-

Incom-

Olea-

de

Præ-

quid

quid

✻) o (✻
✻